Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Bibliotheek
van
Robidé van der Aa.

KW 121
N 66 122

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Zie Mr. van Geys-
beek D. 6 fol. 707

121
N 66



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

JACOBI ZEVECOTI
J. U. D.
POEMATVM
Editio ultima

Libellorum

Seriem verſa pagina indicat.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK 's GRAVENHAGE

du Rondel

AMSTELODAMI

Typis IOANNIS IANSSONI
M. DC. XL.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIÆ.

TRAGOEDIÆ.

SILVÆ.

EPIGRAMMATA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nobiliſſimis & Ampliſſimis Viris

DD. CONSULIBUS ac SENATORIBUS inclytæ Reip. Hardervicenæ, Patriæ Patribus

Eorumque

SECRETARIO Fideliſſimo

MAgnifici Proceres, uniti lumina Belgî,
Quos themis & Pallas ſed magis iſta colit.
Quos genus ac virtus ad munera ſumma vocavit,
Et nunquam in Patriam contemerata fides.
Quod, quamvis Iſulam jam prætergreſſus, Iberus

Militibuſque ſuis cæſareiſque
ferox,
Expertus ſatis eſt; cum vos preci-
buſque miniſque
Ad ſemel ejectum ſollicitavit he-
rum.
Illuſtres Animæ! donec mihi vita
manebit
Immemor haud unquam tem-
poris ejus ero,
Cum vos vicinum repuliſtis fortiter
hoſtem
Exiguus quamvis miles in urbe
foret.
Hoc decet Heroes generoſo ſangui-
ne claros,
Cuncta pati potius quam nova
jura pati:
Perjuro toties quam deſervire Ty-
ranno,
Subdereque immani libera colla
jugo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Hoc igitur ſcitote Viri; conſtantia tanta
Totius exemplum poſteritatis erit.
Iuſtaque Mnemoſyne tituloſque & nomina veſtra
Inſcribet faſtis non peritura ſuis.
Interea ſi forte meis non clauſa camœnis
Atria ſint, tantis nobilitata Viris;
Sumite Gandenſis cecinit quæ carmina Vates,
Cum Themidos totum non rapuiſſet amor:
Cumque ſuæ nondum ploraſſet fata Mariæ
Illius hæc ſecum gaudia cuncta tulit.
Sæpius illa quidem lucem videre; Brabantis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Flandriſque, & Batavis publica facta typis.
Sed modo ſupremum magis aucta recenſuit auctor,
Et ſimul æternum dixit Apollo vale.
Inde ſuam veſtrâ laurum poſiturus in urbe,
Nominibus veſtris ultima ſcripta ſacrat.
Iuſſit id in vobis radians heroica virtus
Et genere & ſtudiis condecorata ſuis.
Iuſſit & affectus per tot modo cognitus annos,
Rebus & in multis teſtificatus amor:
Queis ſe pro meritis tantum debere fatetur,
Vt ſe ſolvendo non ſatis eſſe ſciat.

Hinc,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Hinc, quoniam majora nequit, ſua carmina tradit;
Semper ut affectus ſint monumenta ſui.

Nobiliſſimæ ac Ampliſſimæ Dom. V.

Devotus

IACOBVS ZEVECOTIVS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

In Poemata
Clariſſimi Viri
JACOBI ZEVECOTII
J. C.
PETRUS CUNÆUS
J. C.

FAcunde vates, grande Belgij
decus,
Quem domina rerum Roma jam
pridem ſuum
Cupit eſſe civem: Flandriæ quem
ſedibus
Excire multâ ſtuduit incaſſum pre-
ce
Vis celſa Iberi; dic quid iſtud ſit
rei
Quod te Batavûm liberæ genti in-
tulit?
Servire mentis igneus neſcit vigor,
Regumque dona, gratiamq; prin-
cipum
Reponit infra magnitudinem ſu-
am.

Nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nihil ille tradux purioris ætheris
Tentare magnum Spiritus noſter poteſt,
Quem non in altum vegeta libertas levat.
Virtutis aufert alteram Dieſpiter
Partem caducis cœtibus mortalium,
Quos ſervitutis ſubdidit ſemel jugo.

Ad
Clariſſimum Doctiſſimumque virum
JACOBUM ZEVECOTIUM
Cognatum ſuum
Cum ex Italia redux Poemata ſua ederet.

POſt rerum Dominam Deamque Romam,
Et ſeptemgeminos in Urbe montes,
Tot arcus titulis ducum ſuperbos,
Et certantia nubibus theatra,
Thermas, pegmata, porticus, coloſſos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Viſos non ſemel, & ſemel relictos,
Poſt preſſos cineres Maronianos,
Et qui poſt Heliconios receſſus,
Primas Pauſilypus miniſtrat umbras,
Seu toto Zephyrum moratur anno,
Seu certos reditus ituſque ponti,
Dulci temperie videt, nec horret;
Et conchas legit eminus marinas.
Poſt triſtes Sapientiæ labores,
Et quicquid ſtupet aut colit juventus,
Hæc primo Zevecotius *ſub avo*
Ante urbem patriam lareſque viſos,
Annuentibus exhibet Batavis:
Pudentes elegos, ſed elegantes,
Et fortes, & amabiles ïambos,
Et triſtes laqueos adhuc minantem
Ipſa debilitate choliambum,
Et faſtum tragici gravem cothurni,
Sed quem Hiſpania, Cecropiſq; tellus,
Noſtris, ut reor, invidet theatris.
Et quicquid ſtupet aut colit venuſtas.
Hæc decem potes imputare chartis,
Hæc præſtat tibi puſio libellus.

DANIEL HEINSIVS

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

In Poëmata

V. CL.

JACOBI ZEVECOTII

J. C.

Gandavenſis, Cognati ſui.

In illuſtri Harderviceno Gymnaſio Profeſſoris publici.

QUi tot per artes, per ſcientias
cunctas,
Totumque Pindum, limpidamque
Pirenen,
Calore primæ concitatus ætatis,
Inuſitato deviavit anfractu,
Quem Roma mater, quem palatium Romæ
Papalis aula, purpuræque tot Regum
Videre quondam, quem pater Camœnarum
Urbanus ipſe fovit atque dilexit;
Quem pectus altum neſciumque
ſervire,

Magnâq; tantum mente digna Libertas,
Odiumq; inhoſpitalitatis Hiſpanæ
Tandem Batavûm liberæ intulit genti·
Princeps juventæ , quas furore Phœbêo
Perculſus olim ſauciuſque cantavit,
Orbi Camœnas nunc redonat edendas.
Rumpare, Ganda; Zevecotium civem
Tibi invidendum dum Batâvus oſtentat.
Rumpare, Ganda. Si qua, Diva, materni
In corde veſtro mica reſtat affectus;
Si non novercæ, ſi parentis admittis
Prædulce nomen; intuere nunc civem,
Nunc intuere Zevecotium veſtrum,

O Di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

O Diva mater ! exulat tuus natus,
Sed ab exulante ; patriamque pro-
ſcriptus
Proſcripſit ipſe. Quid moraris, in-
felix!
Lugere, ſi vel tota barbaros mo-
res
Nondum induiſti, Cantabramque
Maranam ?
O ſcena triſtis inſolentis Hiſpani,
Choragiumque Celtiberici faſtus!
Tyranniden ô digna non pati tan-
tam !
Sol belgicarum civitatium quon-
dam,
Ocelle mundi, dædalæque Naturæ.
I nunc per orbem, tot nepotibus
quondam
Clara eruditis totque vatibus, Di-
va,
Ortus Deorum civium atque nata-
les
Quantumlibet circumfer uſque &
oſtenta,
Jactaque ſpectatoribus ſuas cunas,

Toti-

Totidemque cunis adde buſta:nos
ipſos
Nunc exhibemus advenis tuos ci-
ves.

NICOLAUS HEINSIUS,
DAN. FIL.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

In Laudem

Clariſſimi & Præſtantiſſimi Viri

JACOBI ZEVECOTII

Gandenſis

Poemata ſua

iterum edentis.

COmmendat Senecas & Euripidas,
Excelſus tragici furor cothurni:
Marones, Varioſque, Statioſque,
Ingens Odryſij calor Gradivi.
Flaccos, Steſichoroſque Teïoſque
Septeno lyra temperata filo.
Sed molles elegos ſibi arrogarunt
Albi, Callimachi, Propertijque.
Ut quemq; ingenii perennis ardor
Juſſit non humiles ferire chordas
Abductum placidæ ſono Camœnę:
Quo felicior hic meus Poëta
Zevecotius omnibus Poëtis;
Qui ſic omnia dulcibus camœnis
Apte temperat, aureoque verſu;
Quantum ſingula vix vetuſtiores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

EPIGRAMMA
Ad Eundem.

NUper dum tragicis planxit tua Muſa theatris
Te Zevecote *novum dixerat* Euripidem:
Nunc faciles elegos lætis cum verſibus aptas,
Ganda ſuum incepit dicere Callimachum.

I. RYCQUIUS Gand. Civis Roman. Ludebat.

ALIUD.

SEptenus numerus, ſeptem artes, ſidera ſeptem,
Nomen & auſpicium dant *Zevecote* tibi
Septenis gradibus, ſeptena vehendus ad aſtra,
Solus eris Pleias quicquid Achiva fuit.

MAXIMILIANUS VRIENTIUS, Senatui Gandenſi à Secretis.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Ad Clariſſimum Virum

D. JACOBUM ZEVECOTIUM
J. U.D. & Hiſtoriarum ac Eloquentiæ Profeſſorem, Collegam ſuum.

*F*LANDRIA *quem genuit* Zevecot, *quem Roma videbat*
Multoties, *notum Gallia magna tibi;*
Belgica quo gaudet tellus, *quo Geldrica tandem*
Famâ præcellens, & Schola noſtra viget:
Deſerit ipſe orbem, ſed non deſertus ab orbe,
Aeternum fugiens nomen ad aſtra rapit.
Huc te ſuſtollit, Zevecoti, *doctus Apollo*,
Huc te jam ſequitur blandula voce lyra.
Heinſiadum tradunt hæc te modulamina ſtirpi
Agnatum, Phœbus novit & inde ſuum.

Dum

Dum vero cælum ſcandis, Reſpublica terris
Te jubet affigi, te pia jura petunt.
Sic tua poſt cineres remanebit fama perennis,
Vt cælo affixus, vivis in orbe tamen.

ANTONIVS DEVSINGIVS

ALIVD.

VT, quæ diſtribuunt terris ſua fata ſorores
Eſſe coli partem te voluêre ſuæ,
Riſerunt toto felicia ſydera cœlo
Exiluit ſuperâ quicquid in arce fuit.
Numine plena novo, Gordunæ maxima terræ,
Ad faciles ſtupuit Ganda, Deoſque ſuos,
Et, niſi fallor, ait magnum mihi fata Poëtam
Dant iterum; magnus ſit precor ille diu.
Talis erat, memini, cæli faciesque, ſtatuſque
Heinſiade quo ſum facta beata meo.
Heinſiaden natum ſibi mox ſacravit Apollo,
Iamque ſacraturas porrigit ille manus.

Creſce

Creſce meus Vates, tecum mea gloria creſcet,
Laureaque, ad Clarias quæ tibi ſurgit aquas.
Quæ tamen heu ſpecies mihi ſe lachrymabilis offert?
Et fugis, & patriam nate relinquis humum.
Mene fugis, ſanguis meus? an magis impia Iberi
Auſaque & indignas, quas vomit ille, minas?
Barbara gens, compeſce manus, compeſce furores,
Cur mihi delitias non ſinis eſſe meas?
Belga meus dominos neſcit tolerare Maranos,
Belga meus famulas neſcit habere manùs.
Dummodo ſit liber ſortem quamcunque laceſſet,
Talis erit Flander, ſi modo Flander erit.
En, nate, hoſpitium præbet tibi libera tellus
Hic ubi ab Heſperiis nil vereare minis.
Prô Dî! cur & idem mihi non licet? impedit Aſtur,
Heu libertatem poſſidet ille meam.
Parvule jam plora miſeranda incommoda matris,

Hic

Hic ſonus heicſemper non tibi liber
erit.
Grandior utfueris, fuerit plorare periclum.
Hoc quoque livorem quo mereatur,
habet ?
Quid tamen heù violem fletu tua gaudia
noſtro ?
Vive diu felix diſſimiliſque mei :
Dixit, & obticuit, ſimul ut neſciret Ibe-
rus,
Quà potuit lachrimas combibit ipſa
ſuas.
Hæc cecinit tua Ganda tibi, Vir maxime,
fata,
Tam fuit in cunas officioſa tuas.
At ſimul advexit pueriles Lucifer annos.
Te vis ingenii mox probat eſſe virum
Viciſti votumq; tuum, votumq; tuorum,
Carmina ſcripſiſti vel ſene digna puer.
Applauſit, pueroq; favens puer ipſeCupido
Militiæ voluit te caput eſſe ſuæ.
Ipſe pater Scaldis, Flandrarum rector
aquarum,
Liſaq; Gandenſis nobilis hoſpes humi
Et Cala, & puris ſpecioſus Livia limphis,
Attoniti numeris ſæpè ſtetere tuis,
Ac miſtis ſonuere choris : vive optime
vates,
Quæque meres, tibi ſint candida fata
diu !

Te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Te propter torvo Tiberis nos lumine
ſpectat,
Tam faciles nobis invidet ille Deos.
Non tua vulgari ſe jactat dote camæna,
Ardua non unâ tendit ad aſtra viâ,
Nunc ea ſublimi graditur ſuccincta co-
thurno,
Et canit ancipites Regibus eſſe vices,
Nunc humili ſocco facilique poëmate
rurſus
Deſpuit in nebulas nubile munde tuas,
Vtq; ſuâ humani careant putredine mores
Admiſcet ſalſos ingenioſa ſales.
At verò puris elegis, & nectare plenis
Accinit, & cunctos torret amore ſui.
Hæ ſunt primitiæ tamen, hæc exordia pri-
ma;
Præludit famæ ſic tua Muſa tuæ.
Iam tibi priva quidem ſummos largitur
honores
Inque tuos plauſus patria tota ruit.
Plus tamen applaudet, communis patria,
mundus,
Miratus genium, terſe Poëta, tuum.
Tempus erit Clariis quo ſtet tibi crebrior
antris,
Ac multos laſſet nobilis aura typos,
Mnemoſyneque tuæ venerans miracla
Thaliæ
Aſſerat, & faſtis inferat illa ſuis

Obſtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Obſtupuit Phæbus, fuſusq; in gaudia totus
Serta parat, meritas circũitura comas
Tunc ait: ô noſtri decus indelebile regni,
In cujus titulos nil Libitina poteſt,
Qui præſtas primis ea præcoce mente ſub annis,
Qualia longævi vix potuere ſenes,
Cingere, quæ Clario jamdudum creſcit in horto,
Ac tibi formoſis annuit alta comis,
Cingere Daphnæâ, Vates cultiſſime, lauro.
Et ſimul ex merito diſce, quid illa velit
Educat hanc frondem præclaris frontibus Aon:
Ingenio merces convenit iſta tuo.
Quid tibi cũ terrâ? patrii ſis totus Olimpi
Hoc centrum magnis mentibus eſſe decet.
Hoc monet, huc capite erecto vocat ardua laurus,
Ad cælos facilem præſtruit ipſa viam.
Vt ſua funeſtus jã mittat fulmina livor,
Laurum, palladiæ Gorgonis inſtar, habe.
Hanc prætende tibi, mox alis fulmina verſis
Auctorem miſere ſunt ruitura ſuum.
At te conſpicuis liquidum trans æthera bigis,
Majorem letho candida Fama vehet.

O ſi

O ſi Fata meis eſſent tam mollia ſceptris,
Vt meùs æternum, magne Poëta fores!
Heu vereor, Lacheſis feralia multa minatur,
Hæc tibi filiolam, te rapis ipſe mihi.
Et jam, ſancta Themis, tuus eſt *Zevecotius* omnis,
Ingenium ſoli conſecrat ille tibi.
Ah, precor, erronem noſtrum, Dea juſta, remitte,
E damnis creſcant ne tua caſtra meis.
Quem verò, o demens, fugis, ah tua lintea verte,
Tutior è noſtro pulvere ſurgit honos.
Iam tibi, quos habuit ſummos, perſolvit honores
Bis Themis, & meritæ jura petita togæ.
Et tantum in medio tua navigat æquore puppis,
Quin decumana tuam jam gravat unda ratem.
Munera Iuſtitiæ veſtræ ſic illa laborum
Agmina poſt ſeſe vix numeranda trahunt.
Præmia ſed mea ſunt mera gaudia, plena quietis,
Poſt ſe nectareum nil niſi ſyrma vident.
Quid tua perpetuis exerces tempora rixis,
Tempora, quæ paci ſunt magis apta ſuæ?

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Quid tua clamoſis ſeſe facundia roſtris
Subjicit? ingrati quid juvat eſſe fori?
Ad mea ſacra redi. Quin quod rogo, cogere poſſem,
Non hoc ipſe neges, non neget ipſa Themis.
Totus in ære meo es, cur me malè grate relinquis?
Ad mea ſacra redi, totus in ære meo es,
Ejuranda tibi bona copia protinus eſſet,
Si mihi cogaris perſolüiſſe meum.
Iure meo cedens tibi verba precantia fundo,
Conveniunt turbæ, vi magis, illa meæ.

IOHAN. VVITTEN

ALIVD.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ALIUD.

AVdierat tragica Roſimunden voce furentem,
Et Senecam doluit cedere Roma tibi.
Quid faciet reliquos dum cernet cedere vates?
Poſtea quos vincas non ſupereſſe gemet.

MAX. à BARONAIGE

ALIVD.

QVi cupit optatos Phœbi luſtrare receſſus,
Et loca Pieriis cognita Virginibus,
Is ſilvas *Zevecote* tuas, hortoſque virentes,
Et nemora æterno nomine digna petat:
Inveniet Charites quas ſtirps tibi clara favere
Iuſſit, & Aonias quas tibi vena Deas,

LAMORALDVS de VOS

ALIVD.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ALIUD.

In ſilvas ejuſdem.

DVm reliquis ſoli ſilvis paſcuntur ocelli:
Hæc animum ſimul & lumina ſilva rapit.

IOANNES CONINCK.

J. Z.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

IACOBI ZEVECOTII

ELEGIÆ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro
D. JACOBO CATZ
Equiti, In Illuſtri præpotentium Hollandiæ Ordinum conſeſſu Senatori ac Syndico ſupremo, & Academiæ Leydenſis Curatori.

VErnantes elegos, genialis carmina Muſæ,
Innocuum mentis liberioris opus
Inſcribo Vir ſumme tibi, quia Belgica tellus
Iudicio majus nil videt eſſe tuo.
Tu poteris primos pueri diſtinguere fœtus,
Et venæ nimium luxuriantis opes;
Tu mage maturæ quæ dictavere Camœnæ,
Nam mihi non uno tempore ſcripta leges.
Nec libuit teneræ luſus damnare Iuventæ
His hederas olim patria terra dedit;
Quæ quia, ni ſolidâ firmentur ab arbore, ſerpunt:
Firmatura meas, ſi ſinis, arbor eris.

I. Z.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

JACOBI ZEVECOTII ELEGIARUM liber primus.

ELEGIA I.

Ad DANIELEM HEINSIUM.

HEinſiade magnæ decus indelebile Gandæ,
Quem titulos ſupra diva Minerva locat:
Si luber, & faciles non dedignare Camænas,
Præſidium Muſæ parce negare meæ,
Illa quidem tenuis, nec tanto digna patrono,
Pæne parem ſuperis quem videt eſſe Dijs:
Si ſectere tamen, cui vix concedis, Olympum,
Exemploque pium te juvet eſſe Dei;
Parva leges, ut magna ſoles: quia cura Deorum
Infima non ſpernit, quæ magis alta regit.
Hæc equidem magnove Duci, Regive parabam
Gratior ut tanto nomine Muſa foret:
Sed modò regalem didici contemnere faſtum,
Qui tantùm fluidas vanus adorat opes,
Exulat indoctâ divina poëſis ab aulâ,
Clauſaq; ſunt noſtro limina cuncta Deo.

Si ſua quis ſummis inſcribat metra Monarchis,
Ducat & in celſas Numina noſtra domos;
Vix primo raptim folio, vix nomine viſo,
Neglectum retinet bibliotheca librum.
Principibus ſtudium vacat exercere Dianæ,
Venanteſque ſequi per juga celſa canes:
Nec vacat ignavis pulchram ſibi quærere famam,
Triſteque perpetuæ jus ſuperare necis.
Perge tuum Princeps venatu fallere tempus,
Caſtraque Pieridum delitioſa fuge;
Et nihil æterni faciens encomia Vatis,
Lubrica per varios tempora perde jocos:
Quando tuæ Lacheſis lacerabit ſtamina vitæ,
Quid tibi tunc luſus, quid tibi ſilva dabit?
Fama tuum tumulo tecum damnabit honorem,
Contemptúmque premet flebilis urna caput.
Et licet eoo tumuletur marmore corpus;
Frigidaque egregius contegat oſſa lapis:
Quod rapuit vitam, rapiet quoq; marmora tempus,
Nec finet æternùm longa manere dies.
Dic ubi ſunt priſcis fabricata ſepulchra Monarchis?
Dic ubi quod mirum Caria vidit opus?
Omnia crudeli violavit falce vetuſtas,
Quoque loco fuerint plurima ſtructa, latet.
Nos domini rerum fatalem ſpernimus urnam,
Nullaque mors nobis, ſit licet atra, nocet.
Tetrica vitales Lacheſis dum finiit annos,
Staminaque in vacua non videt ulla colo;
Liberat ignavo Polyhymnia corpore Vates,
Poſt ullâ vetitos conditione mori.
Fama rogo vivit nunquam peritura ſuperſtes,
Et nihil à tumulo quod vereatur habet;
Cunctaque victrici perfringens ſecu'a pennâ,
Excitat exemplo tempora cuncta ſuo.
Illa dies veniet cum me quoq; Daphnide cinctum,
In niveis famæ Ganda videbit equis,
Ponè rotas, ſpretique Duces, alijque ſequentur,
Quos modò barbariæ cernimus eſſe reos:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Turpia præcingent aſinorum tempora caudæ,
Nulláque dum poterunt promere verba, rudent.
Armatus vitiis & diræ ſcommate linguæ
Ante triumphales Zoilus ibit equos:
Ille ſuo noſtros damnabit more labores,
Inducétque nigras per mea ſcripta notas;
Dùmq; emet opprobrijs ab inerti prandia, notum
Me doctis tantùm non ſinet eſſe viris;
Sic & qui teneras cupiet laudare Camœnas,
Et mea, qui cupiet carpere, ſcripta leget.
Interea toti notus Zevecotius orbi
Sordibus ignavæ celſior ibit humi.
Quique ſuos celebrant, celebrabit & ille, labores,
Invidiæ domino ſub pede tela terens.
Præſidióque ſui factus generoſior Heinſî,
Ardua ſublimes tollet ad aſtra comas.

ELEGIA II.

Ad Gandam.

GAnda vale, procul hinc dominã properamus ad urbẽ,
Flavus ubi tumidis Albula fumat aquis:
Vidit ubi totum ſeptem de montibus orbem
Imperij faſces Roma ſubire ſui.
Hic Adriane tui monumenta videbo ſepulchri,
Et quod Burgeſij nomine crevit opus.
Hîc Lateranenſis ſublimia culmina templi,
Arduaque in varijs pegmata ſtructa vijs.
Fas erit Eſquilias, celebremq; inviſere collem
Æſtiva referunt quem maduiſſe nive.
Fas erit antiquo juga cernere culta Quirino,
His modo dant gemini nobile nomen equi,
Sunt ubi Romani pretioſa palatia Papæ,
Queis nihil Auſonius pulchrius orbis habet:
Hinc me Virgineam dum traxerit ardor ad undam,
Ad titulos retrahet Veſpaſiane tuos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et dabitur vario factas è marmore Thermas,
Structaque ab antiquis balnea Cæſaribus?
Et dabitur latam penitus percurrere Romam,
Cultaque Principibus tecta ſtupere viris,
Quæque jacent multis modò deformata ruinis,
Occurrent oculis Amphitheatra meis;
Quæque Palatinum celebrant miracula montem,
Templaq; Tarpêii, ſed modo fracta, Iovis.
Hic ego Romano Capitolia clara Senatu,
Sacraque frugiferæ tecta ſubibo Deæ:
Et paſſim nitidis felix ſpatiabor in hortis
Sive tuis Carpi, ſeu Ceſarine tuis.
Interea lepidum ſi fors invenero Vatem,
Qualis in Heſperijs eſt modo rarus agris:
Protinus amplectar, mediâ licet obvius urbe
Venerit, & menſæ pars erit ille meæ.
Sacraque Muſarum teſtatus & orgia Bacchi.
Labile non ullâ fœdus inibo die.
Et ſi fatidicam Deus hic mihi finiat horam,
Ille ſua claudet lumina fracta manu.

ELEGIA III.

Ad Iuſtum Harduinium Poëtam.

HArduini patriæ non infima cura Minervæ,
Accipe cognati triſtia fata tui.
Accipe quæ liquidas ad Liſæ flevimus undas
Carmine fortunæ conveniente meæ.
Læta canant alij, placido queis ſidere natis,
Candida Pegaſeam Muſa miniſtrat aquam.
Me decet innumeris implere poëmata curis,
Diraque natalis plangere jura mei.
Ergone fatales nunquam niſi triſtia Parcæ
Fila trahent mœſtâ non bene ducta colo?
Ergone continuis agitabitur ægra procellis
Cymba per adverſas quæ mea currit aquas?

Stellaque quæ noſtri fuit olim conſcia partus
  Non unquam faciles induet atra comas ?
Iam mihi bis denos Lacheſis numeraverat annos.
  Ortaque poſt illos purpura veris erat.
Cum me ſtultus amor , ſtudiumq; immane videndi
  Quidquid in Heſperijs Phœbus adurit agris;
Iuſſit ad Italicas peregrinum tendere terras,
  Et procul à patrio diſſita regna ſolo.
Heu quoties mihi tres gemino cum fratre ſorores
  Prædixere meæ fata ſiniſtra viæ !
Heu quoties multis me conſcius ante diebus
  Terruit immodicis turgidus Auſter aquis!
Et volucres opico lævum gemuere ſuſurro,
  Arculaque infauſto murmure flevit avis.
Et trepido alarum motu narratur hirundo
  Attonitos circum ter volitaſſe lares;
Ter per nocturnas avis intempeſta tenebras
  Exiguâ dixit voce: Iacobe mane,
Fœtaque prægnantem vulpes comitata lyciſcam
  Devovit noſtras obvia facta vias.
Aſt ego ſive polus, ſeu me mea fata trahebant.
  Et toties læſi vindicis ira Dei:
Ridebam Superos per tot mihi monſtra minantes,
  Ominaque innumeris vera probata malis.
Iamque dies aderat cum te pulcherrima rerum
  Infauſto potui linquere Ganda pede.
Et procul à Belgis per inhoſpita frigore ſaxa.
  Perque tuas abiens cane Gotharde nives:
Rhætus ubi verno nunquam ſe flore coronat,
  Torpet ubi lento terra ligata gelu;
Inſubrum dominam perveni ſanus ad urbem,
  Paſſus inhumanæ tædia mille viæ.
Hic mihi vicinam quia nuper adiverat arcem
  Non licuit docti Præſulis ore frui.
Adfuit ille tamen ſummi pars magna Senatus
  Saccus, & Aonij pars quoque magna chori.
Adfuit ille meus Montorſanus, ille Minervæ
  Filius, & Phœbi cura favorq; ſui.

Hoc duce magnificã quæcumq; videnda per urbem
Vidimus, & molem magne Philippe tuam;
Vidimus auguſti ſublimia pegmata templi,
Et loca Romanis invidioſa locis.
Iamque per Oebalidum rutilantia ſidera fratrum
Flectebat calidos Phœbus anhelus equos:
Reſtabantque meæ poſt bis ter millia centum,
Millia ter centum conficienda viæ.
Ergo per herboſos quos pulchra Placentia campos,
Quoſque colit capris cognita Parma ſuis;
Attigimus veſtras famoſa Bononia portas,
Inque tuis fuimus terve quaterve ſcholis.
Hic ego quid referam? felices credite Belgæ
Credere vix oculis me potuiſſe meis.
Illa ſuperba ſemel ſtudiorum mater & altrix
Non niſi barbariem ſegnitiemque colit.
Turba Magiſtrorum ſolâ gravitate verenda,
Vix ſeptem didicit verba latina loqui.
Delius antiquis ceſſit proſcriptus ab aris.
Occupat indoctus limina cuncta ſtupor.
Hâc miſerâ rerum facie perterritus, urbem
Deſero, & inceptum proſequor æger iter.
Quaque Apennini juga ſurgunt ardua montis,
Culminaque & plantis aſpera ſaxa meis
Ducor, & Hetruſcis olim loca culta colonis,
Et populos adeo nobilis Arne tuos.
Inde per antiquæ tendentem mœnia Senæ,
Sparſaque per cunctas oppida multa vias:
Sexta dies IunI dominam perduxit ad urbem,
Cum fugiente die nox prope nata foret.
Hic ego purpureos vidi mihi plaudere Patres,
Et de non unâ conditione loqui.
Hic mihi Burgeſijque domus, magniq; Maphæi,
Atque CobellutI ſemper amica fuit.
Et licet haud multos habeat modò Roma diſertos.
Exulet & totâ noſter ab urbe Deus;
Non tamen invitum variæ tenuere ruinæ,
Et Vaticana ſuis bibliotheca libris.

Muſaque jam Superis par incedebat & aſtris,
Et nihil à quoquam quod trepidaret erat:
Cum ſubito triſtes verterunt omnia Divi,
In medioque ratem deſtituere freto.
Namq; minus cautè dum veſpere tendo per urbem,
Dum calidum turbant humor & aſtra polum;
Aëris affectus vitio Doctore jubente
Cærula Tyrrhenæ per vada mittor aquæ:
Ventorum dubijs ubi tempeſtatibus acto
Neſcio quæ Iuno bis minus æqua fuit.
Poſt tres inde dies meliori numine Nereûs
Ad Genuæ portus carbaſa noſtra tulit;
Aſt ibi vix ſeptem requievi languidus horis,
Difficilem properans accelerare viam:
Perque Apennini ſcopulos, nemoroſaque feſſus
Cum ſociis cepi ſcandere ſaxa meis.
Inde per omniparos PedemontI nobilis agros
Ivimus, & cautes crude Sabaude tuas.
Qua Rhodanus lato Lugduni mœnia curſu
Alluit, & ſocius flumina jungit Arar.
Qua Ligerimque bibunt, & qua felice ſuperbus
Sequana Pariſios gurgite ſcindit agros.
Inde per Ambianum BelgI devenimus arua,
Fortis ubi triplici Ganda ſuperbit aquâ.
Hic mihi felici quia non datur eſſe Poëtæ,
Et nimis eſt votis ſors inimica meis;
Stamina fatidicæ rumpant vitalia Parcæ,
Ac animam rapiat quæ mihi terra dedit.

ELEGIA IV.

Ad Redemptorem noſtrum in præſepi frigentem.

ERgone quem veteres olim cecinere parentes
Veniſti populo Chriſte petite tuo?

Veniſti tumidum debellaturus avernum,
 Vecturus laceræ clara trophæa Stygis?
Tene tamen patrio decuit deſcendere cœlo,
 Claudere mortali numina magna cute,
Dum riget, & ſævis pugnat malus imbribus annus,
 Cunctaque tam densâ ſub nive terra latet?
Dum glacies gelidâ conſtringit compede fontes,
 Iordaniſque ſuas continet æger aquas?
Hoſpitiumque tuæ claudens Iudæa parenti
 Diruta vix ſtabuli tecta patere ſinit?
Heu ubi nec molles excludunt frigora lecti,
 Ligna nec arſuro dant alimenta foco.
Vix fæni ſatis eſt rimas quod claudat hiantes,
 Vix ſatis eſt ſtipulæ quæ tua membra tegat.
Ah modò qui vernis Zephyrus dominatur in hortis
 E molli jubeat creſcere flore torum:
Quæque patent toto numeroſa foramina tecto,
 Obſtruat hinc violis, obſtruat inde roſis.
Ah tibi ne duri crudelia flamina Cori,
 Neve ſuo noceat ferrea bruma gelu:
Parcere verſa ſuo diſcat Natura Parenti,
 Sæviat in reliquos, ſed tibi parcat hyems.
Quid loquor infelix? quid inania vota frequento?
 Nulla movent ſurdos mollia verba Notos.
Tam ſacra crudeli quatiuntur frigore membra,
 Et teneris non vult parcere bruma genis.
Frigidus hinc gelidâ Boreas inſanit ab arcto,
 Hinc Notus, hinc Eurus frigora dira vehit.
Parcite vos ſaltem, vos ſaltem parcite venti,
 Parcite tam roſeas dedecorare genas.
Tu quoq; bruma meũ cave frigore lædere Chriſtũ,
 Si non vis homini parcere, parce Deo.
Si pueri lachrimis, ſi non moveare parentis,
 Parce Deo, Dominum ſi vereare tuum.
Quid loquor infelix? non te mala frigora brumæ,
 Non lædunt rigidi flamina dura Noti:
Sed te Chriſte meæ deformia crimina vitæ,
 Et lædunt animi turpia facta mei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Illa tibi teneras urunt rigidiſſima plantas,
Illa jubent duplex ut tibi currat hyems:
Quæque ſemel duris terebrabunt brachia clavis,
Iam cruciant multo brachia ſtricta gelu.
Tune tamen noſtris quæ ſunt mala debita culpis,
Tune luas populi crimina fœda tui?
Tune crucis quondam pro me ſubiture dolores
Dum venient annis ter duo luſtra tuis:
Vix puer hibernas pro me patiere pruinas
Vſtus inhumano membra tenella gelu?
Non patiar. Pia bruma meum jam deſine Chriſtum
Lædere, pro Chriſto ſint mea membra meo.
Hinc poteris glacie laſcivam pellere Cyprin,
Atraque criminibus corda lavare nive.
Non eget ah glacie Veneris non uſtus amore,
Non eget albenti candidus ille nive.
Quid faciam? tua qui conſtringunt frigore mēbra,
Hi mea diripiunt irrita vota Noti.
Et tibi quæ famulos debent ſubmittere faſces,
Dura Creatori ſunt elementa ſuo.
Totque malis dudum ſuperatus & obrutus eſſes,
Ni fervens hominum cor animaret amor.
Hocne tamen jus eſt ut te mala frigora lædant,
Me calido foveant tecta paterna foco?
Me potius, dilecte puer, me frigora lædant,
Te calido foveant regia tecta foco,
Quæque tibi primo Genitor promiſit ab ævo
Incipe regali flectere ſceptra manu.

ELEGIA V.

D. Maria quærit filium Hieroſolymis amiſſum.

ISta meis igitur reſtabant tempora fatis,
Debitaque ærumnis hæc erat hora meis?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Ite meæ lachrimæ. fugitivum quærite Ieſum,
  Quærite præſidium pectoris omne mei.
Quærite, & inventum matri cito reddite natum,
  Hoc ſine ſi cogar vivere, malo mori.
Qua tamen heu! amiſſe tuos ſequar inſcia paſſus,
  Quæ tegit erronem terra vel unda meum?
Dicite mi volucres aliquo ſi rupis in antro
  Hunc tenet obſcuro ſilva profunda ſpecu,
Aut mage veſani mores exoſus Iüdæ,
  Vivere in externâ vult peregrinus humo.
Heu mihi nil volucres præter ſua carmina dicunt,
  Hæc quoque ſunt ſolito mî mage viſa queri,
Dicite vos ſilvæ, ſi forte per invia ſolus
  Erret ſolivagis præda relicta feris;
Si meus ignotos per Iudæ deviet agros,
  Inculti repetens teſqua remota Phari.
Heu mihi cuncta tacent: ſolum lachrimabilis Echo,
  Ingeminat queſtus officioſa meos:
Hæc quoq; jam rauco reſpondens gutture languet,
  Vixque poteſt medio feſſa dolere ſono.
Quo modo me vertam, ſi te neque ſilva moretur,
  Nullaque ſit ſubitæ conſcia terra fugæ?
Nunquid in empyreo radiant quæ ſidera cœlo
  Invida te matri ſurripuere tuæ?
Quidquid id eſt, timeo, tua nec cunabula fruſtra
  Servavit vigili ſtella novella face.
Forſitan heſternæ docuere hoc ſomnia noctis,
  Somnia quæ curæ cauſa fuere meæ:
Lugebam memini, lugentis clauſit ocellos
  Sive ſopor fuerit, neſcio, ſive ſtupor.
Protinus obrigui: cum te radiare coruſcum
  Vidit in auguſto mens pavefacta throno:
Et paſſim attonitas te circumcingere ſtellas,
  Multaque dimiſſis ſidera ſtare comis.
Forſitan idcirco pudibundus mane rubebat.
  Lucifer, & celeri conſcius ibat equo.
O fili! O timeo, cæcoque impulſa pavore
  Mens ſtudet in curas ingenioſa ſuas;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et dum ſollicitis vaga permeat omnia votis,
Mille ſibi varios fingit iniqua metus.
Quin etiam dum ſtellifero nox vecta jugali
Percurrit taciti cæca theatra poli:
Dum reliqui faciles exhalant pectore ſomnos
Occurrunt oculis omina mille meis.
Vnaque quæ longas mandat mihi ſerpere noctes,
Illa vetat lætos cura placere dies:
Solaque vicini reſtant mihi vota ſepulcri,
Luminibus careo dum mea vita tuis.
Ergo redi, vel ſi nunquam rediturus abiſti,
Exilio ſociam me tamen adde tuo.
Sive lubet primis ardentes ignibus Indos,
Regnaque gemmiferis viſere lota vadis,
Sive magis toto diviſos orbe Britannos,
Ruraq; vicino frigidiora polo:
Ibo per aſſiduis exuſtos ſolibus agros;
Languet ubi nimio toſta calore Ceres,
Ibo per æterno damnatos frigore campos.
Squalet ubi placidi neſcia veris humus:
Non poterit glacies, non me retinere pruina,
Nulla puellares ſiſtet arena pedes.
Non rigidas cautes, non devia teſqua timebo,
Nulla feret lentos horrida ſilva metus.
Triſte nihil patiar cum te mea vita tenebo,
Sive jubes tecum vivere, ſive mori.

ELEGIA VI.

Maria Magdalena Chriſtum ad paſſionem euntem deplorat.

QVis malus attonitas tetigit mihi nūcius aures
Quis miſero triſtes perpluit imbre ſinus?
Tune fugis ſævo claudendus carcere Ieſu,
Et certo properas ad tua fata pede?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nec dabitur poſthac lachrimis detergere plantas,
Nec dabitur roſeas poſſe videre genas?
Illaque fædifrago fuerat quæ debita mundo,
Sæviet in Dominum mors truculenta ſuum?
Quæque ſemel pulchris rutilabant æmula ſtellis
Comprimet æternus lumina fracta ſopor:
Et tua funereo pallebunt labra colore,
Quæ toties labris preſſa fuere meis,
Nec tua te poſthac deſerta Maria videbit,
Et ſibi quæ reſtant tempora triſtis aget?
Tene tamen perdam? te dilectiſſime Ieſu
Sors oculis poterit ulla negare meis,
Non poterit. Quæcumq; tibi fortuna minatur
Atra licet, fatis imminet illa meis.
Non tibi decretæ diſſuadeo funera mortis,
Iuncta trahas fatis ſi mea fata tuis.
Non ego carnifices, non formidabo gehennas,
Quæque ſolet trepidus multa timere pavor,
Siqua meus tormenta ferat crudelia Chriſtus
Magdala cum Domino dividet illa ſuo.
Sive meus gelidis claudatur anhelitus undis,
Fervidus in medio frigore vivet amor:
Scilicet incendit ſinceros æſtus amantes,
Algida non ſentit frigora quiſquis amat.
Sive mihi tortor flammamque minetur & ignem,
Ridebit medio lætus in igne dolor:
Scilicet hoc ipſo flagrant mihi pectore flammæ,
Flāma amor eſt, flammā non timet ullus amans.
Seu magis extremos exul mittaris ad Indos
Sol ubi vicinis littora torret equis.
Exilij comes ibo tui per inhoſpita ſaxa,
Quæque ſcatent multo devia teſqua metu.
Vna tibique mihique domum dabit extera tellus,
Vna meos oculos claudet, & una tuos.
Seu magis infami pendebis in arbore Chriſte,
De cruce te memini multa ſolere loqui;
Me quoque me ſimili ſuſpendat in arbore tortor,
Sitque tuæ propius crux mea juncta cruci.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Hinc tua deplangam lacerantes tempora ſpinas,
Virgarumq; feris livida terga notis.
Hic ego dum gelido cernam tua funera vultu,
Luminaq; in media feſſa natare nece;
Te lugebo truci morientem in ſtipite Chriſte,
Me gaudebo pari poſſe perire modo.

ELEGIA VII.

Maria Magdalena mortuum Chriſtum deplorat.

ET ſemel æſtivo viduatur terra colore,
Et ſemel amiſſis plorat egena roſis.
Quæque prius vernas ſolet exaudire volucres,
Silva gemit veteres deſpoliata comas.
Illaque tam varijs ornata monilibus herba
Languet inhumani flamine tacta Noti.
Tu fueras ver Chriſte meum, tu vera voluptas,
Tu decus, ac animæ gloria ſola meæ.
Quæ mihi te rapuit, rapuit ſimul invida Parca
Omnia quæ poterant cor recreare meum,
Non modo muſcoſi vitreas Iordanis ad undas
Me juvat è nitidis texere ſerta roſis:
Ah nimis effuſo concretæ ſanguine ſqualent,
Queis ſoleo flavis texere ſerta comis.
Non modo cum tanto mihi quæ placuere Magiſtro
Arrident animo caſtra paterna meo:
Caſtra valete, meum vel rurſum reddite Chriſtum,
Hoc ſine nec Regum tecta ſuperba placent.
Tu quoque quæ noſtros tangis vicina penates,
Dum Chriſtum non ſcis reddere, ſilva vale.
Non me tu poſthac blanda genialis in umbra
Defenſam nimio ſolis ab igne teges.
Non lepido volucrum mulcebis ut ante ſuſurro
Dum fervens calidis Sirius ibit equis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Crux umbram mihi ſola dabit, crux ſola quietem,
Non facit ad votum mollior umbra meum.
Hic ego nullius recreabor imagine ſortis,
Acta eſt lætitiæ ſcena ſuprema meæ.
Libera ſed juſto permittam frena dolori,
Et meus ad lachrimas me ſtimulabit amor.
Chriſte jubes lachrimas? lachrimas tibi Chriſte pro
O ſemel has utinam Chriſte videre queas! (fūdo.
Quid voveo infelix? mors quæ tibi clauſit ocellos
Illa vetat lachrimas poſſe videre meas.
O utinam mors æqua meos quoq; claudat ocellos;
Ne videam Domini vulnera cruda mei.
Magdala quo raperis? potius non claudat ocellos,
Vt plangam Domini vulnera cruda mei:
Et te Chriſte tuū lachrimans ſequar uſq; ſepulcrū,
Deploremque tuam præfica mœſta necem.
Hic mihi verus amor magalia parva locabit,
Vt vivat Domino Magdala juncta ſuo,
Heu quoties tunc Chriſte tuum luſtrabo cadaver!
Et ſocium triſtis ſe mihi junget amor:
Heu quoties duri crudelia ſaxa ſepulchri
Luna videns lachrimis humida facta meis;
Sinceri nimios animi teſtabitur ignes,
Dum flentem laſſis tranſgredietur equis.
Interea tu Chriſte meas patiere querelas,
Non audituros inter abire Notos.
Interea tu Chriſte meos patieris ocellos
Non profecturæ fundere flumen aquæ:
Donec fatidicam Lacheſis mihi neverit horam,
Iunxerit & membris hæc mea membra tuis,
O me felicem ſi poſt mea funera rupes
Cum Domino famulam contegat una ſuam!
Tunc amor inſcribet noſtro monumenta ſepulcro,
Non extinguendis carmina pauca notis,
Hic jacet infami qui fixus in arbore ſummum
Sanguine placavit victima vera Patrem.
Cûi dum fata ſui gemit immatura Magiſtri
Iuncta jacet lachrimis Magdala merſa ſuis.

ELEGIA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIA VIII.

Ad Franciſcum Swertium.

QUid mihi dimiſſas ſuades revocare Camœnas
Pars animæ Swerri dimidiata meæ;
Quid veteri mandas iterum me currere campo
Quo ſemel adverſo me pudet iſſe Deo?
Non bene difficiles cui nent mala ſtamina Parcæ
Læta dabit fatis diſſona verba ſuis.
Non bene qui miſero curarum fluctuat æſtu
Militat in caſtris Phœbe quiete tuis.
Quis velit ut vernos tellus exhalet odores
Quam nimio vinctam frigore ſtringit hyems?
Quis velit aëreas lætum cantare volucres
Quas ſpoliat plumis bruma ſevera ſuis?
Carmina felices faciant, queis dexter Apollo
Pocula Pegaſeis plena propinat aquis:
Hoc mea mî Pandora negat, quæ ſidere triſti
Natali nocuit pernitioſa meo:
Quæ mea perpetuis jactari pectora curis,
Et nunquam faciles mî jubet ire dies.
Illa prius Themidos legalia caſtra ſequentem
Me timidis voluit vendere verba reis:
Poſtea per va ios terræque mariſque labores
Heſperij calidum ſolis adire torum:
Et breve qnod poſſem Muſis impendere tempus
E curis vetuit mî ſupereſſe meis.
Felices alij patriæ quos limite clauſos
Liberat à tetrico Calliopeia foro:
Queis ſacra plebejus non dicta carmina ſudor,
Corda ſed æthereus qui movet alta vigor;
Qui neq; cum multis, ut bis duo metra profundant,
Eſcam quæ tineis hoſpitiumque dabunt;
Octo terunt menſes miſeri, ſtultoque labore
Divexant cerebrum nocte dieque ſuum;

Dnmque

Dumque malo claudos pepererunt omine verſus
  Audent ſe ſummis æquiparare viris:
Ignari quod fœda ſuos ſic ſimia fœtus
  Æſtimet, & nigram barbara feſſa cutem.
Scilicet adverſis nihil eſt confidere Divis;
  Invito pereunt carmina ſtructa Deo.
Scilicet innumeros fruſtra ſudatur in annos,
  Ingenium Vates, non ea cura facit:
Ingenio vivit felix Æneidos auctor,
  Ingenio nomen Doctor Amoris habet.
Qui lachrimas Senecæ, qui carmina volvis HoratI,
  Quid niſi delicias, ingeniumque legis?
Corpus erat cæcum, ſi mens quoque cæca fuiſſet
  Nullus Odyſſææ ſcriptor Homere fores.
Unde ſcit Heſiodus veterum ſecreta Deorum?
  Mentis equo ſuperas ſcanderat ante domos.
Si dubites docti placeant cur Scripta Camilli,
  In promptu cauſſa eſt, ingenioſus erat.
Quæ fuit illa tibi paſſim cantata Properti
  Cynthia? mens Clarij numine tacta Dei.
Denique de tantâ ſi quem mirabere turbâ,
  Ingenio careat non niſi vilis erit.
Nos ideo duræ queis ſunt in carmina Muſæ
  Exiguâ legimus littora ſola rate.

ELEGIA IX,

Ad Iuſtum Harduinium.

HArduini patriæ cui dictant carmina Muſæ,
  Cui meritas cingit Daphnis honora comas,
Quid facis æſtivo dum fervet Sirius aſtro
  Et furit ignivomis ſol violentus equis?
Num repetis veteres Roſimondæ flebilis ignes,
  Quæque ſemel juveni vulnera fecit Amor?
Vel magis Hebræi lachrimoſa poëmata Regis
  Transfers ad patrios Belga poëta modos?

Aut

Aut potius Flandrâ Roſimunden voce loquentem
Volvis, Aloſtani nobile Vatis opus?
Quicquid agis ſtupido vulgi ſecretus ab æſtu,
Quod prope Cælicolis te jubet eſſe parem:
Dî tribuant veſtris conſtantia fata Camœnis,
Neve tuis noceant quæ nocuere meis.
Me febris affectum depaſcens arida corpus,
Aonij ſocium non ſinit eſſe chori.
Membra calor, fugit ora cibus, violentia morbì
Detinet ingrato membra ligata toro:
Quin etiam crebros patitur gingiva catharros,
Pectoraque ingenti tacta dolore ſtupent.
Qualiter in tumulis effæta cadavera pallent
Quæ premit æternis lurida mors tenebris,
Occupat informem macies turpiſſima vultum,
Frigidus exſangui pallor in ore ſedet,
Nec recreant feſſam dilecta poemata mentem,
Quæque ſolent animum ſcripta juvare meum;
Ut levis æſtivo volucris quæ cantat in horto
Dum brumæ remeant tempora, muta ſilet;
Sic ſequitur lætum genialis Muſa poetam.
Tempora ſi fuerint nubila, Muſa fugit.
Qui memini quondam domini gratiſſima Phœbi
Antè meæ toties caſtra fuiſſe domi,
Dum licuit pedibus tragicos aptare cothurnos,
Et fari tumido congrua verba ſtylo!
Nil modo quam varijs minitantia monſtra figuris,
Diraque luminibus ſchemata cerno meis,
Apparet rigidi facies macilenta doloris,
Apparent pavido ſomnia plena metu.
Nunc timeo Manes, & te pars magna timoris
O Dea quæ tenebris es reverenda tuis,
Nunc timeo lamias cæcæ ludibria noctis,
Quæque melancholici multa timere ſolent,
Empuſas, Lemureſque, & triſti ſchemate larvas,
Miſſaque de ſtygio plurima monſtra foro;
Hæc ego ſeu video, ſeu morbo forte ſubactum
Iudicium mendax fallit imago meum;

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et novus eoo dum ſurgit ab æquore Titan,
  Feſſus & occiduo dum fugit igne, tremo.
His comes accedit liventi corpore morbus
  Qui gerit inſtantis ferrea tela necis,
His ego vulturibus lacerandum præbeo corpus,
  Huic Ixioneæ ſunt data membra rotæ;
His ſocijs triſtem Libitinæ ducor ad ædem,
  Quique brevi noſtro creſcet ab igne rogus.
Tu tamen Harduini ſi non injuſta rogemus,
  Teque mihi ſancto fœdere junxit amor:
Scribe quod in tumuli ſculpetur marmore carmen,
  Ignorata meum ne premat urna caput.

ELEGIA X.

Aſpiratio ad cœleſtem patriam.

ERgo fatigatos mihi mors occludet ocellos,
  Finiet & vitæ tempora fixa meæ?
Ergone te tandem, tandem te Chriſte videbo;
  Vlla nec à vultu dividet hora tuo?
Perge febris, fluidum mihi perge perurere corpus.
  Aridaque aſſidua guttura punge ſiti.
Perge meum gelidam protrudere corpus ad urnam,
  Luminaque optata comprime laſſa manu.
Quid mihi defeſſos vitalis anhelitus artus,
  Quid nimis ingrato corda vigore regis?
Non ego Neſtoreos opto mihi degener annos,
  Aut fluat in longos ut mea vita dies,
Non volo perpetuæ nutriri rore juventæ,
  Aut mundi levibus me ſatiare jocis;
Ut miſer antiquis tradam mea pectora curis,
  Quæque ſemel colui, gaudia vana colam:
Scilicet exilij non ſunt mihi gaudia tanti,
  Quiq; patens mundi nil modo Mundus habet.
Scilicet infauſtis fugiens Babylonis ab undis.
  Spiritus ad patrias feſſus anhelat aquas.

O patria

O patria! ô veris felicia regna triumphis!
O patria! ô votis ſæpe petita meis!
Quis mihi fatales jubeat properare ſorores,
Quæ mea tam lento pollice fila trahunt?
Quis me ſideream Superûm deducat ad aulam,
Ereptum furijs naufrage Munde tuis?
O ubi perpetuis pinguntur floribus horti,
Ridet & æternis ver geniale comis,
Quas neq; tempus edax, nec iniquæ frigora brumæ,
Nec periment rigidi triſtia flabra Noti.
O ubi nec puras cœnum radiare plateas,
Nec prohibet ſanos vivere dira lues.
Non ibi damnatum morbus qui devorat orbem,
Non fixit rigidos mors truculenta lares.
Peſtifera ſævam non halat fauce mephitim,
Aut lacus, aut olido plena cloaca luto;
Æſtifer hic nullos incendit Sirius agros,
Non gravis Autumnus, non mala ſævit hyems.
Quis numeret pictas nativo murice gemmas?
Quis numeret dotes terra beata tuas?
Hinc adamas pingit virides argenteus herbas,
Et nitet in medijs plurima bacca vijs;
Illinc nectareos roſa nobilis halat odores,
Liliaq; intacta candidiora nive.
Hic violæ in folijs pretioſum fulgurat aurum,
Narciſſuſque ſuas dividit igne comas.
Hic interfuſo ſua munera corrigit oſtro,
Æternumque levat Flora venuſta caput.
Quid referam viridi radiantes fronte ſmaragdos
Et cyanos glauco qui magis ore placent?
Quid referam nitido rutilantes ſidere vultus,
Sive tuos jaſpi, ſive pyrope tuos?
Nil in odoratis uſquam quod diſplicet hortis,
Nil ibi non oculi quo ſatiantur habent.
Seu mediter ſardos, ſeu lilia mixta cylindris,
Illa trahunt animum, nec minus illa meum.
Perge febris, fluidum mihi perge perurere corpus,
Aridaque aſſiduâ guttura punge ſiti:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et tu Parca meos tandem miſerata labores.
Scinde precor fatis debita fila meis.

ELEGIA XI.

Ad Errycium Puteanum.

ERryci Grudiæ decus immortale Minervæ,
Illa licet meritis ſit minus æqua tuis:
Nuper ad acceptas nil me ſcripſiſſe tabellas
Deſine mirari, febribus ictus eram.
Ter memini calamum, ter me ſumpſiſſe papyrum,
Ter calamum tenuit febris iniqua meum:
Occluſitque mihi doctarum caſtra ſororum,
Caſtra meo poſthac non adeunda pede.
Scilicet infirmos fugit impia Muſa Poetas,
Temporis ad nutum vertere docta fidem.
Cernis ut heſperias Phœbo properante ſub undas
Percurrit nitidis æthera Veſper equis?
Et monet auratas ſua promere lumina ſtellas,
Et cælum tacitis dividit omne Deis;
Cumque tenebroſa componit fœdera nocte,
Fœdera fallaces inter itura Notos:
Nam ſimul ac nitidi Nymphe prænuntia Solis
Cœpit odoriferas ſpargere rore comas;
Protinus umbrarum commendat abire Senatum,
Et citò venturo vertere terga Deo:
Nec ſinit ulterius tacitas horrere tenebras
Perfidus, & pacti non memor ipſe ſui:
Purpureiſque levem percurrens æthera bigis
Lucifer eſt ſubitò, qui modo Veſper erat.
Sic etiam ſanis applaudit Muſa Poetis
Inque ſuos ſaltus, grataque rura vehit;
Et ſinit aonijs immergere labra fluentis,
Et ſinit æterna cingere fronde caput:
Sed ſi forte graves morbus percuſſerit artus,
Ite dein Vates, territa Muſa fugit.

Ne

Ne vacet ambiguis erenim ſuccurrere morbis
  Exitio docuit læſa Camœna ſuo.
Vrientiades lentis podagræ cruciatibus ictus
  Fixerat in triſti languida membra toro:
Audiit, & tantum conſolatura Poetam
  Venit ad ægroti diva Thalia domum:
Et prope dejectam ſtabilivit carmine mentem,
  Contraxitque ſuis tempora longa jocis:
Hinc neque vim morbi Vates ſenſiſſe putatur,
  Nec ſemel aſſiduis ingemuiſſe malis,
Sæpius & medios inter riſiſſe dolores,
  Suggereret lepidos cum Dea docta ſales,
Officiumque ſuum cum peſque manuſq; negarent
  Sæpè per æthereas mente volaſſe domos,
Momus id ad rigidam fertur retuliſſe Podagram
  Percuſſus ſtimulis magne Poeta tuis:
Illa licet ſegnis, baculis innixa duobus
  Incepit celeri fortius ire gradu;
Ut contempta novo puniret ſpicula telo,
  Adderet & veteri deteriora malo.
Muſa procul claudo properantem poplite vidit,
  Nec potuit riſum diſſimulare ſuum.
Cum tamen ora feri trepidaret turpia, monſtri
  Cum Vriento properæ dat ſua terga fugæ.
Vidit, & obliquo fugientes ore notavit
  Morbus, & admiſſo currere cœpit equo.
Iamque fere Aonidum tutos exceperat hortus,
  Cum doluit laſſos eſſe Poeta pedes.
Heu quoties tunc Muſa ſuum vectura Poetam
  Optavit pennis Pegaſe ferre tuis!
Heu quoties feſſum monitis animavit alumnum!
  Nec poterat citius currere, claudus erat.
Interea morbus defeſſi crura Poetæ
  Occupat, & multo verbere ſternit humi.
Vulnerat & trepidam nodoſo ſtipite Muſam?
  Hinc cœpit geminos Diva dolere pedes;
Ac gemitu, & lentæ ſocijs comitata podagræ
  Vix potuit propriam clauda redire domum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Hic dolet & diras etiamnum ſentit Erinnes,
Tollere nec tantum ſcit medicina malum.
Multaque deplorans, reliquas Heliconis alumnas
Admonet exemplo cuncta timere ſuo.

ELEGIA XII.

Ad Chriſtum Redemtorem.

BIs canis æſtivos duplicavit fervidus ignes,
Biſque morâ ſtrinxit Sol breviore dies.
Dum colo Pieridum dulciſſima ſacra Sororum,
Et ſequitur faciles noſtra juventa Deos.
Cantatum ſatis eſt, Alium tibi quære Poëtam
Delie, meta meis ponitur iſta jocis.
Sentio, majores animant mihi pectora motus,
Non vacat exiguis currere ſemper equis.
Sentio, cœleſti quatiuntur corda tumultu,
Major & ad magnum me Deus urget opus,
Nulla mora eſt; venio. Themidos ſeu rurſus adire
Culta mihi longo tempore caſtra jubes:
Seu ſecreta magis fidei myſteria mandas,
Quæ tantum menſes me tenuere duos:
Abrupit ſtudium Romæ nova cura videndæ,
Hei mihi! non tanti barbara Roma fuit.
Ad quæcumque vocas, jam vela ratemq; paravi,
Eſt mihi per geminum ſat via nota mare.
Aſt tibi Pieriam feſſus quam conſecro laurum
Suppoſitam pedibus Chriſte tuere tuis.
Neve meos Momus mordaci dente labores
Rodat, & infami Zoilus ungue petat;
Neve meis triſtes inducat forte lituras
Carminibus Critici frons inamœna ſenis;
Aut tineas paſcant, aut ſervitura premantur
Scripta puerperio muſcule parve tuo;
Qui tibi ſacra canit tenerum defende Poëtam;
Auſaque ſecuro protege noſtra ſinu.

Parva

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Parva quidem, fateor, nullamq; merentia famam
 Fudimus, haud uno metra coacta ſtylo;
Non mea ſublimi ſatis eſt animata cothurno
 Scena, ſatis teneris non elegia modis:
Sed plus laudis habet manifeſta potentia, dum tu
 Eſſe jubes aliquid, quod nihil ante fuit.
Forte tamen celebri potuiſſem cingere myrto
 Tempora, nec ſummis cedere multa viris;
Si male laudando eeciniſſem carmine Cyprin,
 Materieſque mihi ſola fuiſſet amor:
Si pueri ſtultos doluiſſem flebilis ignes,
 Lenaque vel meretrix ſi mea Muſa foret.
Sed volui caſtus potius, quam doctus haberi,
 Et minus egregius, quam minus eſſe pius.
Me Paphiæ turpes ſuperent meretricis alumni,
 Cedo libens, Victum nec tamen eſſe pudet.
Chriſte mihi tu teſtis eris; me tradere malle
 Cuncta voraturo carmina ſcripta rogo,
Quam ſemel infami commutem Daphnida myrto,
 Ingeniumque regat ulla puella meum.
Scilicet eximio ſi non datur eſſe Poetæ
 Ni canat obſcœna turpia facta chely,
Submittam mea vela libens, non curo mereri
 Daphnida, per ſolum ſi ſit emenda nefas.
At tu Chriſte tuum ſi me ſinis eſſe Poëtam,
 Nec prohibes adytis carmina noſtra tuis;
Fama meo jubeas ut non ſit iniqua labori,
 Invidiaque veta me dominante premi.
Fundere nam ſine te quicumque perennia ſperat
 Metra, nimis proprio cæcus amore furit.
Nempe tuum ſupplex veneratur fama tribunal,
 Quos ſpernis ſpernit; quos colis, illa colit.
Hæc quoque quæ canimus nulli placitura peribunt
 Subtrahis auxilium ſi mea vita tuum.
Tu mihi Chriſte parens vireſq; animumq; miniſtras,
 Labra rigas Clarijs tu mihi ſolus aquis.
Te ſine nec Phœbus, nec inania nomina Pindi,
 Nec genium poterat Muſa movere meum.

Tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Tu Phœbus, tu Muſa mihi, Pinduſque fuiſti
    Vulnera Pegaſeum nam tua nectar habent.
Illa ſemel ſacrum puero fudere liquorem,
    Cum peterem tenero caſtra diſerta pede,
Illa meas poterunt defendere ſola Camœnas,
    Illa mihi famam poſt mea fata dare.
Livor abi, tecumque tuas ſimul avehe nugas,
    Vindicis æterni Numine tutus ero.

ELEGIA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIARUM liber ſecundus.

ELEGIA I.

Ad Michaelem Seclinium Heynæ Dominum.

SEclyni meritos cui ſi quis tentet honores
  Carmine mortali dicere, mutus erit :
Quid toties nugas & inania verba requiris,
  Noſtraque non facili ſcripta coacta Deo ?
Quid mihi regalis carmen ſublime cothurni,
  Quid laudas tragicis facta canenda modis ?
Ardua materia eſt, tenui nec tuta Camœnæ
  Triſtia magnorum plangere fata Ducum.
Eſt modus in rebus, Quo te Natura coercet
  Limite, ni maneas, præteriiſſe gemes,
Ridetur merito lapſus ſub pondere, quiſquis
  Ferre ſuis majus aviribus udet onus.
Sæpe perit magnis pelagi ſubmerſa procellis
  Luſit in exiguo quæ modo cymba freto.
Sæpe domi tutos Melibæus continet agnos,
  Queis lupus occluſas imminet ante fores.
Si medio falſas libraſſet in aëre pennas
  Icarus, Icarias non legeremus aquas.
Non gemerent triſtes miſerum Phaëtonta ſorores
  Si monitus pattijs abſtinuiſſet equis.
Quis mala Sidoniæ non novit fata puellæ
  Cujusadhuc ſectus nomina mundus habet ?
[E]verat à Laribus nunquam reditura paternis,
  Vt tenero nitidas carperet ungue roſas,

Ridebant varijs depicti floribus agri,
Tondebant patrij paſcua læta boves.
Iupiter hos inter nivei ſub imagine tauri
Struxerat inſidias neſcia virgo tibi:
Et duo quæ Iuno donarat mæcha marito
Aptarat capiti cornua magna ſuo;
Mugituq; gravem crebro teſtatus amorem
Errabat dubio picta per arva pede.
Riſerunt Superi, riſit licet invida Iuno
Tam gravidis preſſum cornibus, eſſe Iovem.
Creditur interea fulmen rapuiſſe Cupido,
Quod novus ex illo fertur habere Deus.
Neſcius iſtorum vel ſe ſpectabat in undis,
Vel dominæ ſtabat Iupiter ante pedes.
Vidit eum virgo, tectique ignara Tonantis
Permulſit niveâ candida membra manu;
Et nitidos varijs exornans floribus artus,
Pexuit errantes colla per alba jubas.
Nec ſatis hoc Amor eſſe tulit; contingere frontem
Gaudet, & ornatis oſcula ferre comis;
Pulchraq; virgineâ connectens cornua zonâ
Dat ſua mentito terga ferenda bovi:
Vectaq; per tumidi vicinas æquoris undas,
Appulit ad portus Creta ſuperba tuos.
Tunc demum ingemuit, nudataq; pectora planxit;
Ante verecundus clauſerat ora pudor.
O pater! ô lato procul hinc diviſe profundo,
Prataq; quæ pedibus trita fuere meis!
O pater! ô ubi ſum? num me mendacia fallunt,
Aut terrent animum ſomnia vana meum?
Nonne fuit melius vernantes carpere flores,
Pulchraq; virgineis nectere ſerta comis:
Quam procul à patriá, procul à genitalibus arvis
Ire per undoſi mille pericla freti?
Quam maris ignoti dubium percurrere littus,
Inq; peregrinis cuncta timere plagis?
Ah ubi nulla meos ſolatur alumna dolores,
Fataq; qui minuat triſtia nullus adeſt.

Ipſa ſolens reliquis comes eſſe dolentibus Echo,
Muta meos ſurdâ negligit aure ſonos.
Seu quia Sidoniæ non eſt ſatis æqua puellæ,
Seu quia lamentis par nequit eſſe meis.
Quocumq; adſpicio mihi mille pericla minantur,
Terra facit varios nec minus unda metus.
Et mortem timeo. Tamen hæc ubi lenta moratur
Vltima tam gravibus meta futura malis?
Cur medicam verear? mea rumpite ſtamina Parcæ,
Et, tibi quam voveo, mors citò ſcinde comam,
Fædaq; dum pulchros macies non occupat artus
Nec roſeo triſtis pallet in ore fames;
Præcipe me ſævas ſpecioſam paſcere tigres,
Pulchraq; da rabidis membra voranda lupis,
Quis tamen ante ſinat Tauri male nuper amati
Cornua crudeli me lacerare manu?
Sic aliquo prius ulta modo contenta perirem;
Heu obſtant votis Numina dura meis.
Quid facis Europe? quid adhuc tua fata moraris?
Aſſignat meritæ te tua culpa neci.
Sive lubet laqueo periturum nectere collum;
Quæ Tauri vinxit cornua, zona liget.
Sive lubet rigido lacerari corpora ſaxo;
Hîc tua quæ lacerent corpora, ſaxa rigent.
Quid facis Europe? dubitas properare ſub umbras
Quo pudor ante tuus te ſine raptus ijt?
Vel potius turpi vis ducere ſtamina fuſo,
Iuſſaq; regali ſoluere penſa manu?
Vis Dominæ faſtus, probroſaq; verbera ferre,
Pictaq; ſanguineis terga dolere notis?
O pudor! ô patrijs tam longè diſſita terris!
Impia quid ceſſas non modò virgo mori?
Talibus Europe gemuit temeraria verbis,
Cum procul á patrijs plangeret ægra focis.
Et mea ne paribus ſuccumbat victa procellis
Credere ſe magnis cymba veretur aquis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIA II.

Ad Fulgentium Stephani natalem in Ianuario recolentem.

FUlgenti ſoboles non infitianda Minervæ,
Ubera cui puero diva Thalia dedit.
Quem mihi perpetuum Superi junxere ſodalem
Pluſquam Theſeâ Pirithoique fide:
Dum tibi qui gelidis Ianus tegit arua pruinis
Natalis retulit feſta colenda tui;
Accipe quæ toti nondum bene cognita mundo
Rettulit in faſtos noſter Apollo ſuos.
Vos quibus arcanos hominum cognoſcere ſenſus
In ſummo poſitis Iupiter axe dedit;
Si verè mihi viſa cano, ſi conſcia rerum
Carminibus fraudem ſcitis abeſſe meis;
Vicinæ citius tenebras perrumpite noctis
Sidera, ſicque mihi conciliate fidem.
Cynthia ſupremum peragebat pallida curſum,
Iuſſa propinquantis cedere Solis equis;
Quæque renaſcentis præcedit lumina Phœbi
Cypris ab eois orta micabat aquis:
Tempore quo nobis inſomnia vera videntur,
Cum dubio trepidant aſtra fugata die.
Dum mage ſincera capiuntur imagine ſenſus
Nec venit à ſtomacho, qui ſolet ante, vapor:
Tunc procul à Belgis ſomno vectore profectus,
(Tam celeres Divûm non habet ullus equos)
Eoos ultra populos & litora Gangis,
In viridi poſitus ſtare videbar humo.
Quam neque noſtrates nautæ videre, nec ulli
Coſmographi tabulis inſeruere ſuis.
Fons ibi vicini dilabens vertice montis
Purus in illimi luxuriabat agro:

Cui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Cui neque Gorgonei latices præpono caballi,
Nec ſi quas alias Græcia laudat aquas,
Hunc circum faciles celebrabant feſta Napææ,
Quæque colit vitreas cærula Nais aquas:
Et Satyri celeres, & ruſtica Numina Fauni,
Queiſque levat doctam Sicelis unda ſitim
Undique vernantes ridebant dulciter herbæ,
Pictaque non uno flore nitebat humus.
Mollis odoratos decorabat amaracus hortos,
Inter & Idalias lilia cana roſas.
Hic mihi , tam pulchræ dum miror munera terræ
Murmureque attonitum detinet unda ſuo;
Quæ ſint viſa loquar. Muſarum Præſes Apollo
Adſtitit, in ſacro vertice laurus erat,
Portabat Cyrio veſtitos murice faſtos,
Compactos digitis Anna perenna tuis,
Scripſerat hic lepidis tantum penetranda Poëtis
Plurima, quæ nugas vulgus agreſte putat.
Gorgona cur Perſeûs, gladium cur geſtet Orion;
Quo patre, quo fuerit Pegaſus ortus avo.
Corpore cur verſo cuſtos Erymanthidos Urſæ,
Pone premat plauſtri ſidera clara ſui.
Quomodo perpetui ne ſit diſcordia motus
Corpora dena ſimul circinet una dies
Quomodo dum certas ob ſervant ſidera leges,
Multa pluunt, fervent plurima, plura rigent
Qualiter & totum turbarit Ianus Olympum
Signa ſibi volvi non ſatis æqua querens;
Viderat ut Corvo jungat Februarius Anguem,
Vernus ut Olenio ſidere Mayus ovet.
Pegaſus ut ſtellis Martem ter quinque decoret,
Nec renuat gemmas pulchra Corona ſuas.
Aprili Canis alter adeſt. Dominantia quiſque
Proſpera quæ voveat ſidera menſis habet.
Solus Delphini ſidus lachrimabile Ianus,
Solus habet mœſtæ ſigna timenda Lyræ,
Iupiter audivit, mox juſſit adeſſe Senatum,
Fertur & ad dominos mota querela Deos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Diû fuit ambiguum. Multis tua Iane probata
Cauſſa foret, ſi non invidioſa foret.
Pars etenim donis, pars intercepta favore
Plus æquo generis vel ſtudioſa ſui;
Aut ſua, non partis, non publica commoda curans
Legibus hoc caſu noluit eſſe locum.
Quiſque igitur proprij defendit ſidera menſis,
Quiſque ſua juſſit Signa manere domo.
Noluit Omnipotens; & ni vetuiſſet Apollo
Mota forent ſolito ſidera multa loco.
Ille Dijs reliquis jam deſperantibus audax
Protulit in medio talia verba foro:
Parcite Dî veteres Naturæ vertere leges
In ſolido ſcriptas quas adamante tulit,
Frigida ſi calidis miſcentur & humida ſiccis,
Cogitis in miſerum cuncta redire chaos.
Sidera mutentur, fiet mutabilis æther,
Et tua forte brevi Iupiter aula cadet:
Tunc niſi te plumis iterum vel cornibus armes
Labentis poterit lædere terra caput.
Nec fugit hoc Ianum qui poſt tua funera rurſus
Sceptra tuo ſperat reſtituenda Patri.
Ergo câve monitus Cives attingere Cœli;
Danda putas Iano ſidera? Terra dabit.
Cernis ut illuſtri radiat Fulgentius igne?
Ille meæ poterit eſſe Corona Lyræ.
Iupiter arriſit, Cygnoque Lyræque propinquum
Eſſe tuum juſſit poſt tua fata locum.
Hâc tua fulgebit cœli regione Corona,
Ne dubita, gemini nominis omen habes.

ELEGIA XIII.

Ad Philippum Happardum.

QVid toties Happarde meæ monumēta Camœnæ
Exigis, & lævo carmina ſtructa Deo?

Non

Non mihi quæ reliquis bibitur ſacra lympha Poëtis
Non mihi Pegaſeæ fons fluit ullus aquæ.
Sed tenet inviſa conſtrictum compede torpor,
Et procul Aonijs mandat abeſſe choris.
Quis velit ut nitidæ radient duo cornua Lunæ,
Tecta ſub informi cum Dea nube latet?
Quis velit æſtivis ut Sirius algeat aſtris,
Cumque ſuo caleat Parrhaſis Urſa Polo?
Non Deus aſtriferos finit hoc qui circinat orbes
Omnia perpetuo fœdere nexa tenens:
Qui ſua formoſis cum ſpargeret atria ſtellis,
Et mille in ſupera figeret aſtra domo;
Sidera quas ſervant leges adamante notavit,
Iura ferens nullo diſſoluenda die:
Ac aliquas lento condemnans frigore flammas,
Inſtruxit reliquas imbre vel igne faces.
Inde micans humeros nudo mucrone minatur
Orion pluvio proximus Eridano.
Et triplici monſtrans, radiant quæ cingula flammas
Exerit offenſis non leve ſidus aquis;
Pone ſequens rubri rutilantia cornua auri
Imbribus aſſiduis quæ pia ſpargit Hyas.
Inde riget reliquis longe ſublimior aſtris
In Boreæ gelido frigidus axe Polus:
Tardus ubi verſat glacialia plauſtra Bootes,
Terga gerens ſeptem conſpicienda notis.
Ter tria Gnoſſiacum pingunt ubi ſidera ſertum,
Alcideſque ſuo flectit in igne pedem.
Non procul à mæſti fidibus radiantibus Orphei,
Non procul à ſtellis auree Cygne tuis;
Albet ubi niveo diviſum tramite cœlum,
Hoſpitium mentis delitiumque tuæ:
Hoc etenim faciles tibi permiſere Camœnæ,
Ut quod mors reliquis hoc tibi vita daret,
Stellifer ut vivo tibi limina pandat Olympus,
Teque vocent civem ſidera cuncta ſuum,
Major ut humanis penetret cæleſtia curis,
Et petat affines mens animoſa Deos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Neſcia terrenis ſua perdere tempora nugis,
Neſcia tam levibus ſe recreare jocis;
Hic agit; & ſuperi diſcit miracula mundi
Quæque latent, paucis cognita, fata poli.
Et curas hominum, diverſaque ſomnia ridens
In cunctis aliquod rebus inane notat.
Inde videt Reges quos non ſua regna coercent,
Et furor in pugnas ambitioſus agit.
Inde ſacram tumidis Nemeſin inſtare Tyrannis,
Nec ſiccâ miſeros morte perire Duces.
Ille Magiſtratus, ſibi ſomniat, alter Honores,
Mercator dubias verrit avarus aquas,
Hic tetrici lævo Saturni ſidere natus
Obſtipi capitis lumina figit humi,
Urbis & in medio rabioſa ſilentia rodit,
Ut patriæ linguam non didiciſſe putes;
Vel mage Pythagoræ taciturnâ lege teneri,
Et quinquennalis temporis eſſe reum.
Iſtos futilibus junxiſſet inertia fucis,
Exinctique diu lege jubente forent,
Lingua venenato niſi melle peruncta vetaret,
Et cilium priſci quale Catonis erat.
His modò regales patefecit hypocriſis aulas,
Et propè totius ſubdidit orbis opes.
Tu duplices horum linguas, vulpinaque noſcis
Corda, nec eſſe vides, quas imitantur, oves.
Non loculos ſpecioſa tuos geſtamina fallunt,
Retia nec, multis quæ nocuere, nocent.
Scilicet hoc Natura ſuis concedit alumnis,
Quêis bona net facili ſtamina Parca colo.
Multa mihi prohibent quæ duro pollice Parcæ
Neverunt ſtudijs aſpera fata meis.

ELEGIA VI,
Ad Franciſcum Kynſchotium.
Fabula Hyemis.

QUid me Kynſchoti ſterili miraris avenâ
Fundere non ulli carmina grata Deo?

Alget

Alget hyems, algetque ſimul cum tempore Phœbus,
Et calido tantum gaudet adeſſe foco,
Credo quod à vafro trepidet nova furta Prometheô,
Ne minuatque ſuam ſupprimit ipſe facem.
Ille pater brumæ eſt. Superi concedite; dicam
Viſa mihi triſtis ſigna puerperij.
Frigus erat, noctiſq; pigras duplicaverat umbras
Sol procul à noſtri diſſitus axe Poli.
Nulla per effætos vernabant gramina campos,
Nulla per exſangues Flora nitebat agros,
Texerat omniparos macies turpiſſima colles,
Horrebant triſti cuncta coacta gelu
Non Zephyrus molli ludebat ut ante ſuſurro,
Cinctus odoratis tempora verna roſis.
Non Dryas in teſquis, Naiſve canebat in undis,
Hæc latices vinctos flebat, & illa ſolum.
Mirabar vario veſtitos murice campos
Tam cito purpureâ ſe ſpoliaſſe togâ,
Mirabar rigidis caput occultare pruinis
Quæ modo fœcundo rore madebat humus,
Miranti, fas ſit Superi mihi dicere verum,
Viſaque luminibus ſpectra referre meis,
Adſtitit alba ſinus, ſiccas effæta mamillas,
Rugis & canis ſtrix metuenda ſuis.
Lurida perpetuo ſtillabant lumina fletu,
Tuſſis vexabat pectus, & oſſa tremor.
Tota nigros macilenta thoros, macilenta lacertos,
Dixiſſes gelidæ ſchema fuiſſe necis.
Stridebant crebro concuſſi verbere dentes,
Nutabant nervo deficiente pedes,
Horrida rugoſos macies obduxerat artus,
Livebat nudis oſſibus icta cutis.
Fœdus ab obſcœnis undabat naribus humor,
Lætus ab exſangui fugerat ore color.
Pone ſequebatur Boreas, tabulaſque gerebat
In quibus hæc niveis ſcripta fuere notis,
Eſt locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Hîc gelidum caudâ ſuſtinet Urſa Polum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Arbor ibi æſtivâ nunquam recreatur ab umbrâ,
Et nunquam facili ſidera fronte micant.
Nulla Ceres ſpicas, nec Bacchus colligit uvas,
Nulla Pales miſeram gramine veſtit humum.
Non ibi damnatos exercet vomere campos
Ruſticus, & nunquam dulce queruntur aves.
Vrſus & albenti veſtitæ vellere vulpes
Teſqua colunt hominum non adeunda pede;
Hic longas inter nebulas, rigidaſq; pruinas
Stat ferrugineæ Regia furva Necis,
Venerat huc patria depulſus ſede Promethêus
Effugiens Domini Numina læſa Dei.
Vtq; foret tutus peregrinis exul in oris,
Connubium Mortis ſollicitaſſe ferunt.
Audiit hoc Erebus; ſtygioque è gurgite miſit
Quæ mentem & thalamum conciliaret anum.
Sed veluti plenis ſuſpirat nubilis annis,
Et dolet in vacuo virgo cubare toro;
Sic matura viro Mors quos conceperat ignes
Non ullâ poterat diſſimulare morâ.
Dicitur ergo dies, totuſq; vocatur Avernus
Mitatt ut ad talem munera digna torum.
Eumenides rixas, Hecate miſiſſe dolorem
Dicitur, & morbos Styx inamœna graves.
Cerberus adjunxit ſponſæ paraphernafuturæ
Cum macie vermes, cum tenebriſq; ſitum.
Pluto dedit ſponſo curamq; febrimq; ſodales,
His ſocijs ſponſæ ductus ad antra fuit.
Iamque ſuos novies Phæbe reparaverat ignes,
Et novies nigris cæca nataratequis:
Mors peperit prolem, gelidis excepit in ulnis
Æolus, & primus Luſtrica dona dedit.
Hanc quia lux brevis eſt, Brumam dixere parentes,
Ac Hyemem, pluvio quod magis imbre furit
Huic pater algentem pallatia ſtruxit ad Arcton,
Fecit & è durâ mœnia firma nive;
Oſtia cimmerijs dans conſervanda tenebris,
Queis ſimul atroces juſſit adeſſe Notos:

Sideraq; æterno frigentia fædere junxit,
Parrhaſio quotquot ſunt mage juncta polo,
Interea celeri properabant tempora lapſu,
Aptaq; jam thalamis & duodennis erat.
Autumno placuit. Primus rapuiſſe puellam
Fertur, & audaci contemeraſſe ſtupro;
Pomaq; ploranti pro virginitate dediſſe,
Quæ brumalis adhuc veſper in igne coquit:
Poſt Mundo deſponſa fuit, quo conjuge felix,
Intraſſet talammum ſi modo virgo, foret.
Criminis offenſus tam fædi labe maritus
Cœpit in æſtatis ſæpius ire torum,
Hinc graviter contempta ſuos ulciſcitur ignes,
Quaq; patet totam frigore vaſtat humum:
Quicquid & æſtatis vegetatur munere, perdit,
Et glacie cunctas pellicis urit opes.
Et quoniam meminit ſuſpenſos flumine curſus:
Autumni fugeret cum pudibunda ſcelus:
Conſtringit nimio trepidantes frigore lymphas,
Et ſicco penetrat æquora vincta pede.
Hinc etiam Belgî Dea ferrea regnat in oris.
Multaq, ſævitiæ dat monumenta ſuæ.
Nec prius abſiſtit precibus quam victa Deorum,
Inq; maritalem ſit revocata torum.
Hæc ubi legiſſem, celeres innixus in alas
Me calidum fugiens juſſit adire focum.

ELEGIA V.

Nihil

Ad Franciſcum Bartolinum.

BArtoline mei pluſquam pars altera cordis,
Quem mihi ſincero fædere junxit amor:
Belgiaco quamvis procul es ſemotus ab orbe
Cernit ubi gelidas cominus Urſa plagas;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Me tamen abſentis memorem deponere mentem
Extremam Nemeſis non ſinet ante diem.
Hinc meus aëreas toties qui tranſvolat Alpes,
Non ullo Patriæ limite clauſus amor;
Tecta Quirinali viſit tua proxima colli.
Qua Pia bis gemino ſemita fonte madet:
Ille ferenda tibi nuper me dona rogavit
Ortus cum Iano dum novus annus erat.
Sed male Pegaſeos quia nix obſederat hortos,
Vinctaq; torpebat Pieris unda gelu:
Non potui flores, non hîc reperire ſmaragdos,
Carmina nec mæſtis carpere ab arboribus.
Clamabam ſurdas inſanâ voce Camœnas,
Clamabam Superûm nomina, nullus erat.
Quid facerem? pudet incepto deſiſtere victum:
Spes tamen in ſolis quæ foret ulla locis?
Non procul eſt patria collis memoroſus ab urbe,
Laurus in hoc creſcit, crebraque myrtus olet;
Sunt ibi Pieridum thalamique & caſtra ſororum,
Antraque mortali non fabricata manu:
Hinc poſtquam teneras glacies aſperrima Muſas
Expulerat, coluit caſtra relicta Nihil.
Ut Nihil hic vidi, geminis Nihil obvius ulnis
Excepi,& gaudens ad mea tecta tuli.
Hoc tibi Nil mitto; lepido ſed carmine ſcriptum,
Tu qua noſtra ſoles, ſi lubet, aure lege.
Si facis, in Nihilo quiddam fortaſſe placebit,
Lecturæ pretium nec tibi vile feres:
Nil tibi donabo pretio pretioſius omni,
Perlege, ſi dubitas, pagina teſtis erit.
Pulchræ ſunt virides Erythræo in littore gemmæ
Pulchrius at gemmis cernimus eſſe Nihil.
Si Nihil adſpicias, Nihil abſque colore videbis;
Et mediâ poteris nocte videre Nihil.
Si Nihil attingas, ſolum ſine corpore tanges,
Contra Naturæ ſancta ſtatuta Nihil.
Si Nihil auſcultes, careas licet aure ſtupebis
Abſque ſono & linguâ promere verba Nihil.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Si Nihil armatum videas, miraberis unum
Omnipotente Deo fortius eſſe Nihil.
Iupiter omniſcius Nil neſcit, Nil tamen ipſum
Concipit omniſcium mente ſagace Iovem.
Immortale Nihil Lunæ ſub ſidere vivit,
Et ſimul in varijs ſcit Nihil eſſe locis.
Oceani Nihil innumeras numeravit arenas,
Stellarumque tenet nomina cuncta Nihil.
Nil minus eſt puncto. Nil cælo majus, idemque
Ante Deum rexit templa ſuperna Nihil.
Nil Soli radiis, Nil curſu prævalet aſtris,
Nil facit ut pontum Parrhaſis Urſa bibat:
Occiſumque Nihil vitales rurſus ad auras
Omnibus ignotâ ſcit remeare viâ.
Quis Nihil abiiciat? Nihil eſt pretioſius auro;
Sume igitur pulchrum quod tibi mitto Nihil.

ELEGIA VI.

Ad Iacobum van Zevere.

ZEvere cûi quondam puero dedit ubera Pallas,
Fovit & in proprio docta Minerva ſinu:
Cûi tribuit Phœbus geminique ſcientia Juris
Inter Iuridicos nomen habere patres;
Quid mea dum ſummi tibi decernuntur honores
Cogis ad Aonium vela ſoluta fretum?
Non bene quam tineæ, triſtiſque ærugo peredit
Oceani dubias cymba pererrat aquas.
Non bene dimiſſis miles qui torpuit armis
Ad veteres pugnas ſpretaque caſtra redit.
Cernis ut in tenera vigor aureus arbore vernat,
Gaudet & explicitis luxuriare comis?
Hanc, ſi triſtis hyems Aquilonis inhorreat alis,
Obducent ſterili vellera fœda ſitu.
Cernis ut æſtivas ſibi nectat in ilice cunas,
Garrulaque antiquum narret hirundo ſcelus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Hæc malus infeſto ſi frigore ſæviat annus
 Languebit viduis muta ſub arboribus.
Me quoq; torpor habet, nec, quo caluiſſe recordor,
 Muſarum in thalamos me ſacer ignis agit.
Illa quidem ſacris tantùm guſtanda Poëtis
 Hauſta fuit labris non ſemel unda meis:
Arduaque in ſummo poſui veſtigia Pindo,
 Et colui paucis cognita ſacra viris:
Quin etiam memini Nymphas Helicona colentes
 Sæpius hoſpitio me recreaſſe ſuo;
Cum procul à populo patrij prope flumina Liſæ.
 Et procul à curis quas leve vulgus alit;
Cantabam innocuas, cæleſtia vulnera, flammas,
 Sive tuas Coridon, ſeu Melibæe tuas.
Cantanti lepido ridebant ore Camœnæ,
 Nectebantque meis dulcia ſerta comis.
Ipſa parens Vatum pullo veneranda cothurno
 Melpomene facilem ſæpe ferebat opem,
Occultaſque dabat rerum perquirere cauſas,
 Et legere in tacito fata futura Polo.
Quid doleat tectus Lunari corpore Titan,
 Quid nigra cum fuſcis Luna laborat equis.
Quid premat Æolijs, quid ventos ſolvat ab antris?
 Horrida quâ veniant fulmina torta manu.
Cur Geminos optet, timeat cur pallidus Hædos
 Nauta per æquoreas qui rate currit aquas.
Cur micet innumeris diſtincta coloribus Iris.
 Vicino pluvius dum tumet imbre polus.
Quid gelidâ fatuos ignes exhalet ab urnâ:
 Saltantes jubeat quid rutilare Capras.
Sidera cur labi vento impendente putemus,
 Flammaque ſudantes cur vaga lambat equos.
Arida cur gignat violenta tonitrua nubes,
 Cur pariat canas frigida Bruma nives.
Cur Titan rarò, cur Cynthia ſæpe coronam
 Geſtet, & inſtanti ſe probet imbre premi.
Triſtia quæ diri præſignent fata Cometæ,
 Viſaque per totum currere ſpectra Polum.

Quid

Quid generet nebulas, & quid cum rore pruinam;
Unde ſonans grando naſcitur, unde gelu.
Cur Helene infauſtum, junctus cum Caſtore Pollux
Cur melius tumidis nunciet omen aquis.
Cur moveat terræ concluſus viſcera ventus;
Quis pariat proprius cuncta metalla locus.
Cur mare ſit ſalſum, cur dulces fluminis undæ;
Quis bibat æquoreas incola piſcis aquas.
Hæc olim patrio ſpatians meditabar in horto,
Purus ubi Flandram Livia lambit humum:
Cùm nondũ Themidos penetralia ſancta ſubiſſem,
Et rerum domini jura tremenda fori.
Poſtea nec doctas memini vidiſſe Camœnas,
Fonte nec Aonio me pepuliſſe ſitim.
Scilicet aſſiduas odere poëmata curas,
Nec facit ad tetricum læta Thalia forum.

ELEGIA VII.

Ad Ioannem Bakium medicum.

BAki quem teneræ puerum docuere Camœnæ,
Cui Phœbus geminâ fautor in arte fuit;
Si tibi ſimplicium ſecreta potentia rerum,
Multaque, quæ multis non patuere, patent:
Eſſe quid hoc dices? morbo graſſante peruror;
Signa tamen morbi nulla furentis habes.
Non agitur tardo conſtans arteria motu,
Nec ſolito levius febriculoſa ſalit.
Non errat validos macies gracilenta per artus,
Nec gelidus triſti pallor in ore ſedet.
Nulla vetant placidas inſomnia currere noctes,
Nulla movent animum triſtia ſpectra meum.
Non ſitis arentes exurit fervida fauces,
Sumptus ab infirmo non fugit ore cibus.
Nec calor exundat, nimius nec prævalet humor,
Iunctaque concordi ſunt elementa fide.

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Non angina meas præfocat flammea fauces;
Non mihi tonſillæ, non mihi febris obeſt.
Non cephalæa nocet, non cum ſymptomate tuſſis.
Triſtior ex oculis non catalepſis hiat.
Lethargus procul eſt, & cum vertigine ſaltus,
Cumque gravi rigidus ſpaſmate torpor abeſt.
Non elephantiaſis maculas in corpore gignit;
Non hydrops liquidas quærere mandat aquas.
Non movet aſthma graves, non orthopnæa dolores,
Nec boa, nec ructus, nec phagedœna premit.
Sed ſtupet immani laſſum ſub pondere pectus,
Et penetrant miſerum ferrea tela latus.
Et quamvis ſtomachus bene digerit omnia, quiddā
Credo tamen ſtomacho quod nocet eſſe meo;
Nam quoties jungit niveos Aurora jugales,
Et matutino rore madeſcit humus;
Velle quidem videor, ſed non vomuiſſe recordor,
At malus offenſo durat in ore ſapor.
Tu ſuccurre meo precor Expertiſſime morbo,
Atque ſalutiferam, ſi potes, adde manum.
Sic tibi ſit facilis medicæ pater artis Apollo,
Sic faveat ſtudijs diva Minerva tuis.

ELEGIA VIII.

Ad Iacobum à Marca in Italiam tendentem.

MArca peregrinas procul hinc abiture per Alpes
Accipe pauca, tuæ ſed tamen apta viæ.
Seu cupis Helvetios, ſeu ſors penetrare Sabaudos,
Noſtra tibi geminum pagina pandet iter.
Quin etiam mores hominum, geniumq; locorum,
Quæq; ſequenda tibi, quæq; cavenda dabit.
Principis Auſtriaci celebrem cum videris aulam
Qua Bruxella ſuas inclita jactat opes:

Millia poſt octo tumidi jacet accola Moſæ
  Namurcum domibus nobilitata ſuis;
Hanc pete, & excelſis mirare in rupibus arcem,
  Et juga non Parijs inferiora jugis.
Inde per Ardûennæ contendens devia ſilvæ,
  Antraq; ſolivagis vix habitanda feris.
Per loca tam multis infamia cædibus olim,
  Nunc quoq; ſuſpectis non niſi culta viris:
Perq; Lotharingi ſublimem Principis aulam,
  Appoſitam ripæ vitree Murtha tuæ:
Ad loca devenies ubi tectus tempora muſco,
  Magnus ab exiguo fonte Moſella fluit.
Non procul hinc celebris Rheno Baſilæa ſuperbit,
  Huc uno poteris ſi lubet ire die.
Tunc dabitur ſummum pulſantes æthera rupes,
  Tunc juga perpetuâ tecta videre nive.
Tunc ubi bis gelidas Aurora fugaverit umbras
  Biſq; pruinoſis nox revocarit equis;
Incipies celſi faſtigia ſcandere montis,
  Et juga quæ pedibus dura fuere meis,
Adſpicies nimio ſalientes impete fontes,
  Ardua de ſummis volvere ſaxa jugis.
Adſpicies dulci nunquam noſcenda Lyæo
  Arva ſub informi mæſta latere nive.
Ah quoties laſſas urent dum frigora plantas,
  Optabis patrio rurſus adeſſe foco!
Ah quoties capiti dum ſaxa minantia cernes,
  Blandinij cupies ſaxa videre tui!
Dumque frequens feſſo flatus trepidabit in ore,
  Excutiet ſerus talia verba dolor;
O ego quid feci? quæ me dementia juſſit
  A patrijs miſerum tam procul ire plagis?
Quis mihi cæliferis majores nubibus Alpes,
  Quis penetrare tuos Rhætia ſuaſit agros?
Quæ riget hic rupes, rupes ſupereminet omnes;
  Illa tamen plantis eſt ſuperanda meis.
Quod jacet hic tectum macieq;, geluque cadaver,
  His perijt, per quas cogor abire nives.

Perge

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Perge tamen quartus qui claudet veſper olympum
Optati tribuet Præſulis ore frui:
Tunc veterum felix poteris meminiſſe laborum,
Et pretium longæ grande referre viæ;
Tunc exercitium viridis revocare juventæ
Ac tragicis iterum te recreare modis.
Aſt ſi rura cupis populis habitata Sabaudis,
Regnaque Francigenis viſere culta viris:
Longa via eſt, multis vix abſolvenda diebus,
Nota tibi verſu ſit tamen illa meo,
Arthefiæ fines, Cereri gratiſſima tempe,
Et ſimul Ambiani fortia caſtra vide.
Inde tibi occurret poſt ſeptem circiter horas
Vicus quem Burtel Gallica lingua vocat.
Si numerum repetas urbem non feſſus adibis
A claro nomen quæ modo monte gerit.
Hinc pete Pariſios ubi Sequana dividit agros,
Et rapido lætam gurgite ditat humum.
Inde per obſcuri tranſibis nominis urbes
Dum ſua cum Rhodano flumina jungat Arar;
Hic jacet vrbs multis olim celebrata trophæis,
Inſula majorum tempore nomen erat;
Inde ſub imperio diri combuſta Neronis,
Lugdunum verſo nomine dicta fuit.
Vrbs tantum lepidis habitari digna Poëtis,
Vrbs nimium noſtro grata futura Deo;
Servet inhumanas niſi trux cuſtodia portas,
Et latret occluſas Cerberus ante fores:
Ille meas vix admiſit poſt jurgia Muſas,
Dum feſſas alia vellet abire via.
Furcifer, ardelio, cyclops, impoſtor, agaſo,
Natus matre lupâ, patre latrone nothus:
Huic ego mordaces ſolvam quos debeo verſus,
Ille meo nimium carmine notus erit,
Et ſemel iratos rabies ſi dictet jambos,
Fata lycambæis non leviora ferer,
Tu fuge Marca virum; fluvio quoq; parce ſecundo
Æquoris ambiguas currere velle vias.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Si timeas Alpes, rigidique pericula belli;
  Iſta quidem fugies, ſed graviora feres.
Si taceam Scyllas, ſi, turpia monſtra, Charybdes,
  Si taceam ſcopulos dura Nicæa tuos;
Stæchades occurrēt. Rupes fuge nauta propinquas.
  Sæpius has inter Turca latere ſolet:
Occurretque locus cui dant ſuſpiria nomen;
  Me miſerum! quantum nomen id omen habet!
Ah cave ne tantus Turcæ ſervire Poeta,
  Tyrrhenive ſcelus debeat eſſe freti:
Sed magis indomiti per inhoſpita regna Sabaudi
  Alpini ſupera tetrica ſaxa jugi;
Et Pedemontanos ſecurus perge per agros,
  Tutaque quæ pugnax Inſuber arva colit.
Sic tibi contingant optati Præſulis ora,
  Sic tibi felices ſint ſine nube dies.

ELEGIA XI.

Ad Iuſtum Ryckium.

Pieridum columen, vatum dulciſſime Rycki,
  Quem vocat indigetem diva Minerva ſuum;
Eſſe quid hoc dices? nimio mens icta pavore
  Hæret, & ingenti Numine tacta ſtupet.
Nec mihi ſunt vires queis me valuiſſe recordor,
  Nec viget in vultu qui fuit ante color.
Et procul abceſſit potuſque cibique cupido,
  Et gravis invito creſcit in ore cibus.
Non tamen aut Libycis erravi ſolus in agris,
  Aut latices hauſi Styx violenta tuos.
Non ego Beroſum tetigi, piſceſve comedi
  Sive tuos Iſter, Lydia ſive tuos.
Non læſit gemino gravis Amphiſbæna veneno:
  Ebria Campanæ non Boa lacte bovis.
Nec mihi cûi toties, ſed fruſtra putruit alvus,
  Mortifero nocuit dira Tabura malo.

Atabicos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Arabicos nunquam memini vidiſſe Lacertos,
Quæq; necat tactu trux Aconita ſuo:
Et Scytale vario ſpectantes tergore fallens,
A noſtri procul eſt axe remota Poli.
Et ſuperimpoſitis uon decernendus arenis,
Ammodites Flandris non reperitur agris.
Videra non miſeros infecit dentibus artus,
Non quæ diſrupto Cæcula ventre parit.
Frigida letali nunquam Salamandra veneno
Læſit in arboribus pendula poma meis.
Tortaq; quæ diras caput inter condit arenas
Dipſas ab ignaro non fuit icta pede.
Nec mihi tabifico nocuit Seps letifer ictu.
Nec qui mortali frigore Bufo necat.
Nec velox oculis, fulvuſq; colore Pharias,
Aſpis ſomnifera nec nocet ulla lue.
Non avidus Preſter, non me læſere Lacertæ,
Fluminea Natrix non violator aquæ.
Non qui mortifera decertat Scorpio cauda
Inflixit pedibus vulnera dira meis,
Nulla venena meum perimunt violenta vigorem.
Nulla jubent gelidæ ſoluere penſa neci:
Attamen inſolita videor mihi tabe peruri,
Et mea, neſcio uis, corpora languor habet.
Nec tamen ignoti ſerpit violentia morbi,
Mitius his lætor, quod premit, eſſe malum.
Mutato facilis ſanabitur áere morbus,
Quamq; dedit. poterit tollere Ganda luem.
Ganda meo veterem proſcripſit corde vigorem,
O nimis ingenijs Ganda noverca ſuis!
Quis ferat? indignis ſummi tribuuntur Honores,
Publica quos poterant furta citare reos.
Quis ferat? indoctis donantur præmia, nullus
Aonidum ſtudijs reſtat in urbe favor.
Incipe Ganda tuas melius cognoſcere dotes,
Quoq; decet cives ubere paſce tuos:
Sic poteris magnæ ſemel æmula ſurgere Romæ,
Pulſus & è noſtro pectore languor erit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIA X.

Ad Bruxellam

HEroum Bruxella parens belgîque voluptas,
Urbs ſtudijs nimium delicioſa meis:
Si faciles animis non dedignare Poëtas,
Pegaſeiſque tuus Zenna ſuperbit aquis;
Quas toties hauſit divini Muſa Numanti,
Neſcia Romanis cedere nominibus;
Accipe Gandenſi qui venit ab urbe Poetam,
Vivat ut in populo pars aliquanta tuo.
Non tamen aut viles mens eſt mihi paſcere curas,
Otia vel vitæ deſidioſa ſequi.
Muſa vetat placidos curis ſe tradere Vates,
Et procul à vulgi mandat abeſſe choro.
Scilicet ingenuis ſunt ſidera certa Poëtis,
Illa ſuis lætos legibus eſſe jubent:
Illa nimis dulci mea flectunt fata tenore,
Et populum ſupra barbariemque locant,
Eſt aliquid lætum cunis riſiſſe Planetam,
Ulla nec in triſti Signa ſtetiſſe domo.
Sint alij Veneris, ſint Lunæ ſidere nati,
Mercurij faciles conditione ſumus,
Ille Iovi ſocius Solis mihi fulſit in ortu,
Duxit & ad cunas Numina fauſta meas;
Certaque per totum ducens prognoſtica vultum,
In gemina ſcripſit proſpera fata manu:
Pinxit & arcanis per frontem plurima ſignis,
Luminibuſque notas juſſit ineſſe meis.
Et leviter claria permulcens tempora lauro,
Hic puer eſt Phœbi myſta futurus, ait.
Multaq; conjunxit, quæ tantis territa monſtris,
Expertura fidem verba notavit anus,
Cedite degeneres, jam me juvat eſſe Poetam.
Iamq; juvat faciles me coluiſſe Deas,

Tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Tu princeps Bruxella fave, tibi deferor hoſpes,
  Muſarum & Charitum nobilis aula fave.
Si Patria eſt, ubicumq; bene eſt, tu Patria Vati,
  Tu domus es Muſis grata futura meis:
Si tamen externo non fias dura Poetæ,
  Meque velis blando læta fovere ſinu:
Nec malè me turbent, qui turbāt cuncta thraſones,
  Et gremio doceant poſſe carere tuo;
Nec legat ardelio tetrico mea carmina vultu,
  Neſcia palpones quiſquiliaſque pati.
Ad latices Zennæ viridi meditabor in herba
  Scripta ſemel titulis non nocitura tuis.
Hic ego non uno celebrandos carmine cives;
  Hic referam populi mille trophæa tui:
Hic fontes, colleſque tuos, & flumina dicam,
  Et quæ non dubijs ſunt loca culta Deis:
Teque nihil veteri jurabo cedere Romæ,
  Ornatam templis delicijſque tuis.
Audiet, & tumido conſurgens vortice Zenna
  Cornua non Tiberi debiliora trahet;
Et me forte ſuum gaudebit dicere Vatem.
  Nobilior Muſæ factus ab arte meæ.
Hoc mihi Dî tribuant. Speret mortalia vulgus.
  Fàma meo tantum non ſit iniqua rogo.

ELEGIA XI.

Ad amicum navigaturum.

ERgo fugis? nec ſana tuam ſententia mentem
  Mutat, & ambiguas per maris ibis aquas?
Nec poterunt Dryades patrij dulciſſima ruris
  Numina, nec triſtem ſiſtere Ganda fugam?
Ah miſer inſidos abiture per æquoris æſtus
  Et loca fœdifragis non niſi culta Deis:
Si tua crudeles diſcerpant carbaſa venti
  (Dî tribuant votis omen abeſſe meis,)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

i pelagus cœlo, cœlum ſe miſceat undis.
Quid tibi tunc animi, quid tibi mentis erit?
Occurret tumidi facies mæſtiſſima ponti.
Occurrent miſero nubila plena metu,
Territus abjiciet laxas nauclerus habenas,
Facturus Dominis ultima vota Deis:
Et modò cõmotum pelagus, modò ſidera cernens,
Planget ſe patrios deſeruiſſe Lares.
Quid facies cum fata tuæ minitantia vitæ,
Excludet fragili feſſa carina trabe?
Quid facies cum rupta ſinus, lacerata rudentes,
Navis ab inſtanti dividet una nece?
Hinc tibi deformes ſcopuli, cauteſque rigentes,
Sparſaque per totum plurima ſaxa fretum,
Inde minabuntur crebris prærupta procellis,
Injicientque gravem littora mœſta metum,
Quin etiam centum feralia monſtra charybdes,
Saxaque ſpectabis picta cadaveribus.
Quin etiam infami latrantes inguine ſcyllas,
Quæque latent medio plura pericla mari.
Nec deerunt pavidis trepidata ceraunia nautis,
Illa ſolent iſtud ſæpe movere fretum.
Nec deerunt ſyrtes toto quas æquore fuſas
Sæpius ambiguis contegit æſtus aquis.
Et ſimul errantem refluis Mæandron in undis,
Et Lunæ dubias experiere vices.
Et ſimul occurrent immani corpore cete,
Quæque ſolent miſeras mergere monſtra rates;
Roſmarus hic binis inſtabit dentibus audax,
Quique magis diro Zyphius ore furit:
Quid referam varijs deformia bruta figuris
Ire per irati cærula prata freti?
Quid referam toto diſperſas æquore phocas?
Naribus hæ fluctum naufragiumque vomunt.
*Butvalur, & Nahual, RoiderSpringûaldus, Hyæna
Sunt mage nominibus barbara monſtra ſuis;
Illa tibi juſto conſtringent corda pavore,
Illa tuæ venient certa ruina rati.

* Vide Oṙtel. in Ieandiâ.

Cetera

Cetera ſi taceam numeroſa pericula ponti
  Sat tibi ſunt dubij crimina nota freti.
Adſpice Leandrum, dolet hunc lachrimabilis Hero
  Æquoris inſanas non timuiſſe minas,
Adſpice cum Phryxo fugientem fratre puellam,
  Helleſponticæ flebile crimen aquæ;
Fugerat illa ſuæ rabiemque doloſque novercæ,
  Sed non exitium fugerat illa ſuum;
Dum putat anguſtas pelagi tranſmittere fauces,
  Merſa dedit tumidis nomina clara vadis,
Illa quoque Aonijs Sappho ſoror addita Muſis
  Leucadium mallet non tetigiſſe ſinum.
Halcyonen noſti? merſi memor illa mariti
  Non unquam tenui deſinit ore queri:
Mœſtaque teſtatur quod quæ ſubit hoſpita portum.
  Debeat hoc cæcæ ſalva carina Deæ.
Mille quid adjungam medio quos gurgite raptos
  Merſit inhumanis perfidus Auſter aquis?
Unde tot hic fractæq; trabes, lacerique rudentes?
  Fregit in adverſis Æolus iſta fretis.
Unde tot hic ſyrtes inhumatis oſſibus albent?
  Naufragus inſanis expulit æſtus aquis.
Quid dicam Arctoas gravius ſævire procellas.
  Iungit ubi vires Parrhaſis Urſa ſuas?
Portat ubi diros Auriga propinquior Hædos,
  Et majora gravis flamina nutrit hyems?
Ipſe pater Nereus tumidarum rector aquarum
  Se timet Arctois credere ſæpe vadis:
Et procul infauſto Boreæ ſemotus ab axe,
  Per leviora ſuos æquora flectit equos.
Tu quoque cur viridi melius non conſulis ævo?
  Cur tua das dubijs fata regenda Notis?
Parce precor genioque tuo, teneræque juventæ,
  Aut, tibi ſi non vis parcere, parce tuis.
Adſpicis ut flavos conjunx lacerata capillos,
  Indigno pavidos perpluit imbre ſinus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et modò ferales narrat crocitaſſe volucres,
 Ac ululam mœſtos ingemuiſſe modos:
Et modò nocturnis numerat tibi territa curis
 Quot gravis ingeſſit omina dira ſopor:
Perque maritalis ſocialia fœdera lecti,
 Per ſoboliſque rogat ora tenella tuæ;
Ne dum fœdifragum ſcandis temerarius æquor,
 Obijcias miſeræ teque tuoſque neci.
Ferreus es, fletu ſi non flectaris ab iſto,
 Conjugis & timidâ non moveare prece,
Ferreus infidos poſſis ſi radere fluctus,
 Durior ac ipſis quas penetrabis aquis.
Fœdifragus ventis mercator credat & undis,
 Quærat & in medio mœſta ſepulchra mari:
Scilicet hoc æquum eſt: toties qui Numina fallit,
 Ut mare perjuro naufragus ore bibat.
Tu cave ne rigidi gravis inclementia ponti
 Sit ploranda tuæ cauſſa futura necis.
Tu cave ne medio deprenſus in æquore, ſero
 Exoptes Patriæ tecta relicta tuæ,

ELEGIA XII.

Ad Ioannem van Havre Wallæ Toparcham.

Cur Poëtæ fere omnes ſint pauperes.

DUm populi curas vatum Wallæe voluptas,
 Et fluidas ſpernis quas ſibi quærit opes;
Dumque tuâ Virtus melius declamat ab Arce
 Docta loqui tumido regia verba ſtylo:
Me quoque Pierios novus egerat ardor in hortos,
 Scripta fuit tragicis & Roſimunda modis;
Iamque per excelſi ſpatiabar culmina Pindi,
 Culmina deſidibus non adeunda viris;
Et ſimul hic priſcos gaudebam cernere Vates,
 Et ſimul indigetes Belgica terra tuos,

Hos tamen infauſto paupertas dura premebat
Pondere, vix felix unus & alter erat.
Quæſieram cauſas; cauſas tibi ſcire licebit,
Dixit, & è ſummo riſit Apollo jugo
Tempus erat pictis quo vernant floribus horti,
Et fluidæ Zephyrus murmura lenit aquæ:
Dum propter vitrei dulciſſima flumina Liſæ
Adſtitit ante meos Anna Perenna pedes.
Mollis obumbrabat juvenilia tempora laurus,
In manibus codex murice pictus erat.
Scripſerat hîc veterum vivacia nomina Vatum,
Scripſerat & cives Flandria docta tuos.
Multaque quæ cunctos olim latuere Poëtas,
Multaque quæ nunquam ſæcula noſtra ſcient:
Lis quoque ter denis erat obſignata ſigillis,
Lis populo nimium Phœbe maligna tuo.
Sors dederat ſtupido viridantem Daphnida Batto,
Aoniâ quamvis pulſus ab arce foret.
Indoluit Phæbus; ſacri quoque collis alumnæ
Creduntur lachrimas non tenuiſſe ſuas?
Audierat, nuper Vulcano prodita, Cypris,
Mœſta quod hoc nondum dedecus ulta foret.
Et cito vecturis injecit frena columbis,
Et cito Phœbæam conſtitit ante domum;
Fallacique premens inimicum corde furorem,
Se Clario finxit condoluiſſe Deo;
Et ſtimulos addens (quoniam ſatis improba norat
Fortunæ varias multipotentis opes)
Ingeſſit veteres adamatæ Daphnidos ignes,
Et modò cur læſo cortice mœſta gemat:
Serta nec indignis dicit tribuenda capillis,
Non niſi promeritas cingere nata comas.
Parvus ut arenti ſi ſit ſub ſtipite carbo,
Et leviter tangas ſulphure, flamma micat,
Sic monitis arſit Phœbus, Fortuna citatur,
Fertur & ad magnum lis dirimenda Iovem;
Iupiter his Danaën adamabat forte diebus,
Clauſerat hanc validâ durus in arce pater,

Nec poterat penetrare ſeras tam magnus Amator,
Non quia non fortis, ſed quia pauper erat,
Struxerat Arcadicis pretioſa palatia Nymphis,
Fabricaque immenſas tanta vorarat opes.
Heu quoties poſuit vendenda palatia Divis!
Qui poſſet pretium ſolvere, nullus erat.
Heu quoties petijt ſub fænore mutua centum!
Sed Iovis in cælo non erat ulla fides.
Quin etiam tacitas voluit fur ire per umbras,
Quaſque male amiſit, quærere pejus opes.
Quin etiam duros inter latuiſſe latrones
Dicitur, huc tantum Numen adegit Amor.
Tunc quoque Mercurius loculos ſciſſurus in orbem
Venit, eò miſſus à Jove patre fuit.
Viderat hunc rugoſa genas, ſcabioſa lacertos
Fortunæque ſtatim garrula dixit anus.
Bis vertit Fortuna globum, bis præſcia Batto
Riſit, & ò ſemper ſit tibi Daphnis ait;
Feſtinanſque levi per inania nubila plumâ,
Ante Iovis poſuit munera multa pedes.
Iupiter exilijt, ſortemque amplexus & aurum,
Et varias, Danaë queîs emeretur, opes.
Per vada falſuro nunquam juranda Tonanti.
Pro tanto dixit munere gratus ero.
Sic levis oblato judex dum vertitur auro,
Phœbe cadis cauſſa, ſors ſibi Daphnin habet.
Nec tantum ſibi Daphnin habet, Fortuna Poëtis
Ex illo ſemper tempore dura fuit,
Hinc quæcumque ſacras Pindi contendit ad undas
Fluctuat adverſis cymba ſoluta Deis.

ELEGIA XIII.

Ad Fulgentium Stephani deſperatè (ut fama erat) laborantem.

INcipe ſupremas mecum mea Muſa querelas,
Incipe funereâ carmina mœſta chely,

Et tu quæ viridi circum mea tempora fronde
  Dulcia flectebas gramina, laurus abi:
Non facit ad triſtes tam læta corona Poëtas,
  Iam mihi pro lauro dira cupreſſus erit:
Hæc mea ferali dum cinget tempora nexu,
  Immemorem ſocij non ſinet eſſe mei.
Fulgenti! mi Fulgenti! tene impia fata?
  Te ſine me mandant impia fata mori?
Et mea tam charo viduabitur ægra ſodali
  Muſa dein lætos non habitura dies?
Nec dabitur patrij poſthac ad flumina Liſæ,
  Aut magis ad vitrei læta fluenta Calæ,
Invidiæ Famulos merito contemnere faſtu,
  Multaq; de multis quæ tibi nota, loqui.
Nec dabitur jucunda meæ monumenta Camœnæ
  Tradere judicio diſcutienda tuo
Scilicet immites prohibebunt omnia Parcæ,
  Abrumpent rigida quæ tua fila manu:
Imponentq; meis æterna ſilentia Muſis,
  Et Clarijs cogent me procul ire choris.
Nec Bruxella meos quamvis gratiſſima verſus
  Audiet, ad latices vitree Zenna tuos.
Non ego magnifici collegia clara Senatus,
  Non dicam triplicis jura tremenda fori:
Non ego per cunctos diſperſa palatia vicos
  Non referam dotes Vrbs opulenta tuas:
Nec mihi materiam ſinceri pectore cives.
  Nec faciles animi, divitiæq; dabunt,
Et gelidos grato ſalientes murmure fontes,
  Et reticebo ſuis templa ſuperba bonis.
Nec ſemel extinctum poterunt reparare vigorem,
  Numinaq; adverſi reddere fauſta Dei,
Funera, natales, thalami; vel denique quidquid
  Vix recte fieri mos ſine Vate putat.
Degeneres habitabit iners Zevecotius umbras,
  Nec poſthac aliquo carmine notus erit,
Infauſtumq; gemens ſinceri funus amici
  Pro verſu lachrimas, verbaq; fracta dabit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et procul à patriâ tumulum componet inanem
  Qui nimium mœſtis ſæpe natabit aquis,
Hîc quoties prima pallebunt ſidera luce
  Et quoties laſſis Sol juga demet equis,
Ter Manes, nomenq; ſui clamabit amici,
  Ter medios rumpet lachrima multa ſonos.
At potius ſi te verè Medicina parentem
  Phœbe vocet, tantis auxiliare malis.
Ecce jacet triſti ſuperatus pectora morbo,
  Vicinæq; timet ferrea tela necis,
Qui toties teneræ pandit tua templa juventæ,
  Qui populi potuit ſignifer eſſe tui.
Si ſupereſt ſpes ulla, meo ſuccurre ſodali
  Quo ſine, vita mihi non niſi dura fluit.
Si ſupereſt ſpes ulla, tuo ſuccurre Poetæ
  Qui toties aquilas, & tua ſigna tulit.
Teq; duos ſi ſanus eat, ſanare memento,
  Neſcis pars animi quanta ſit ille mei?
Hoc ſocio, duri nequeunt mihi currere ſoles,
  Aut fortuna meis ulla nocere bonis.
Hoc ſine ſors votis ſemper furit aſpera noſtris,
  Et trahit inviſas vita ſevera moras.
Ergo veni, geminum ſi non vis perdere vatem:
  Et repara medicâ languida membra manu:
Sic tibi ſacrifico peragam ſolemnia ritu,
  Appendens adytis debita vota tuis.

ELEGIA XIV.

Ad Phœbum.

HActenus, & licuit, patrij prope flumina Liſæ
  Trivimus inn cuis tempora verna jocis:
Et procul inſano populi ſemotus ab æſtu,
  Et procul à curis barbara turba tuis,
Aonidum lucos, vulgoq; incognita tempe,
  Et patrijs colui culmina nota Deis.

Hìc ego Pierijs potui comes ire Deabus
  Prata per ignavo non adeunda pede,
Et legere æternâ ridentia lilia fronde,
  Donaq; quæ facilis ſponte miniſtrat humus.
Nunc aliò fortuna vocat; diſcedite Muſæ:
  Da veniam vati diva Thalia tuo:
Non ego te, comiteſq; tuas dulciſſima ſperno,
  Non loca quæ pedibus trita fuere meis:
Sed veneranda Themis legumq; ſcientia rurſus
  Evocat è veſtro carbaſa noſtra freto:
Meq; jubet lepidis poſthac valedícere curis,
  Et mage ſublimi crede vela mari.
At tu Phæbe pater cujus ſacra ſigna ſecutum,
  Me videt in caſtris ultima bruma tuis:
Si fuerit Roſimunda meis induta cothurnis,
  Et non diſſimili ſcripta Maria ſtylo;
Si thalamos Eſther cecini, ſi funera Suêvi,
  Silvaq; carminibus ſit nova ſtructa meis,
Accipe defeſſi ſuprema poemata Vatis,
  Quæq; tibi ſacra ſunt, vivere ſcripta ſine.
Non tamen opto tui fieri pars magna Senatus,
  Hoc ſatis eſt, civem ſi ſinis eſſe tuum.
Alter honoratâ redimitus tempora lauro,
  Sat poterit populi frena tenere tui.
Nos humiles, famuliq; tui tibi thura feremus,
  Muneraq; exiguus quæ meus addet ager.
Dum vetat auguſtâ cingi mihi Daphnide frontem
  Quæ nocuit cunis aſpera ſtella meis,
Dumq; mihi tenues prohibent majora Camœnæ,
  Sentit & adverſos noſtra Thalia Deos;
Sat mihi ſit medios inter placuiſſe Poetas,
  Sic faveat ſtudijs Anna perenna meis.

ELEGIA.

ELEGIARUM
liber tertius.

ELEGIA I.

Ad Iuſtum de Blitterſwijck.

DIcebam, ſatis eſt, lepidæ diſcedite curæ,
Non vacat Aonijs ſemper adeſſe choris.
Si mage vernantes tibi Muſa ſacravimus an-
Et fuimus populi pars quotacũq; tui, (nos,
Sit ſatis hoc, alio fervent jam pectora motu,
Et magis auguſto mens calet icta Deo.
Quid juvat imbelles tantum coluiſſe Camœnas?
Improbat hoc medicus qui quoq; Phæbus erat.
Sufficiat Roſimunda meis induta cothurnis,
Eſther & Aſſyrio nobilitata toro:
Sufficiant elegi, ſilvæq;, & græca Maria
Quam latio docui carmine poſſe queri.
M teriam Famæ dedimus, Nec noſtra poeſis
Parua licet, magnis eſt malè grata viris.
Invidiam merui, nec me meruiſſe pudebit:
Quo magis ingenium deprimit, illa levat.
Sic leo conſpecto furiatus ſanguine vincit,
Invicto penetrans obvia quæq; pede.
Sic cos â turpi ſervat rubigine ferrum,
Quoque magis premitur ſe mage palma levat.
Me quoque ſi fas eſt aliquam ſperare coronam,
Invidiæ quondam munere magnus ero.
Qui mea condemnat, commendat carmina livor,
Dum rabie dignum me putat eſſe ſuâ
Hoc mihi cum magnis commune Heroibus eſſe
Natalis Domini Dî voluere mei.
Quod Divi voluere, volo: non curo malignos,
Nec furias timeo barbare Mome tuas.

Spernere tam vilem didicit Zevecotius hoſtem,
  Nollet & infami ſe placuiſſe viro.
Turpiter ignotum cæcus dijudicat oſtrum,
  Turpiter inſignem ſegnis aſellus equum.
Nil mihi cum Vappis: ſcripſi mea carmina doctis.
  Quæ venit à ſtupido gloria, nulla venit.
Et juvat ignavo bilem moviſſe Thraſoni,
  Pæne ſed à tali me pudet hoſte peti:
Sic facilis veniat mihi Fama, ſuperbior eſſem
  Si nugas poſſem Mome timere tuas.
Tunc ego mordaci pugnarem fortis ïambo,
  Materies ſatyræ vel tua vita foret.
Dum leo cernit aprum, tunc ſe probat eſſe leonem,
  Nobilis imbelles deſpicit ira feras:
Me quoq, magnanimo ſi ſors opponeret hoſti,
  Scripta mihi forſan nobiliora forent;
Quæq; modo exiguos tantū mihi porrigit hauſtus
  Muſa, daret Clario pocula plena mero.
Sic alias miles qui forte triarius eſſet,
  Torpidus audaci dum caret hoſte latet.
Nullus erit miles ſi Martia prælia tollas,
  Invidiam tollas, nulla Poeſis erit.
Interea tu Phæbe tuum ne deſpice Vatem,
  Fataq; da ſtudijs non inimica meis;
Dum mage ſublimi credo mea carbaſa ponto,
  Carmina ſub ſignis ſcripta tuere tuis.
Non ego poſt dulces repetam mea gaudia Muſas,
  Quas nimis adverſo ſors premit atra pede;
Barbara quas procul hinc ſtupidorum ſecta coegit
  Ad meliora ſuos flectere regna pedes.
Finieram, Cum Muſa meos ingreſſa Penates,
  Nunquam viſa mihi clarius ante fuit;
Et ſimul arridens quæ te phantaſtice dixit,
  Mens profugum noſtris ſuadet abire choris?
Vera quidem quereris: quondam mage grata fuere
  Secula, cùm Regum cura Poeta foret,
Cum ſua conſtaret merito reverentia Phæbo,
  Inque ſuis ſortem Fama vehebat equis,

Divitias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Divitias modò mundus amat, leve carmina vulgus
  Spernit, & ingenij credit inertis opus:
Cuncta potens Fortuna regit, mundumq; ſubactum
  Flectit ad arbitrium cæca fugaxq; ſuum.
Gratior in multis ſpectatur pſittacus aulis,
  Et mage quam Vates ſimia fæda placet.
Iugera pro verſu, pro carmine reddere munus
  Quæ noſtro regnat tempore ſecta vetat.
Dulcius eſt nutrire canes, aut paſcere ſtultos,
  Molliaq; infami ſcorta fovere ſinu.
Sed quid inhumanos formidas degener auſus?
  Te virtute tuâ protege, tutus eris,
Deſpice, quos quamvis tumidos deſpexit Apollo,
  Et procul à caſtris juſſit abeſſe ſuis.
Immeritos fugiens, meritos celebrare memento,
  Nec tibi materies, nec tibi cauſa deeſt.
Tot patriâ clari radiant Heroes in urbe,
  Quot numerat tacitus ſidera picta polus.
Si ſordet tua Ganda tibi: Bruxella placebit,
  Vrbs non degeneres protulit illa viros.
Corſelij magnum dubitas ſi tangere nomen,
  Kynſchottuſq; tuâ celſior arte ſedet;
Inferiora refer: meritos tibi Iuſtus honores,
  Dignaq; non humili ſuggeret acta ſtylo.
Et ſi forte dein (quod mens præſaga veretur)
  Non tibi pro meritis gratus is eſſevelit,
Ipſa tibi præſens vireſque animoſque parabo
  Ejus ut in ſordes claudus jambus eat
Te modo jucundis aliquid concedere curis,
  Te juvet ad ſolitum vertere vela fretum.
Dixerat, & vacuas ſubitò dilapſa per auras
  Effugit, thalamo non mage viſa meo.
Cedite degeneres, tu vela rate mq; Poëtæ
  Iuſte rege, auſpicio ſint mea tuta tuo.
Tu mihi materiam, ſcribendaq; carmina dices,
  Tu mihi patronus, tu mihi lector eris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIA II.
Ad Ianum Samannium.

SAmanni placido cui ſidere riſit Apollo,
Poculaque è Clarijs præbuit hauſta vadis,
Quem reparanda ſibi præfectum Ganda veretur,
Subijcit & famulas Liſa libenter aquas.
Quem Franci, Belgæque ſuum novere Poëtam,
Indocilem priſcis cedere nominibus;
Quid leve quod Flandro profundimus ore poëma,
Quid celebras vili ſcripta coacta ſtylo?
Ah temere; nam nulla meos fovet æqua labores
Muſa, nec Aonio ſunt labra tincta lacu.
Ipſe vides tardis ægre ſerpentia nervis
Carmina, ab ingenij fonte venire mei,
Ipſe vides ſegnem penitus frigere Camœnam,
Verbaque torpenti non niſi pigra dare.
Scilicet adversâ tentavi Pallade Pindum;
Et mihi, quæ multis favit, iniqua fuit.
Muſa tibi facilis meliori numine ſervit,
Cor magis auguſto ſueta replere Deo.
Illa tibi nullum paſſura poemata fatum
Dictat, & à cunctis ſcripta probanda vitis.
Illa tuos priſcis titulos Heroibus æquans
Non ſinet ingenij facta perire tui:
Hic vives, viveſque alijs celebratus in oris
Dum pater hibernis Liſa tumebit aquis.

ELEGIA III.
Ad Erricium Memmium.

ERrici meritam cui multa ſcientia laurum
Porrigit in titulos officioſa tuos;

Quem

Quem facili virtus ad ſummos duxit honores
  Calle, parem primis juſſit & eſſe viris:
Si mea quid faciat fortaſſe Camœna requiris,
  Quàque minus fauſtos tranſigat arte dies;
Dum Patriæ miſero vexor pereuntis amore,
  Triſtiaque inſtabilis crimina plango Deæ,
Degener invaſit languentia pectora torpor,
  Territaque ignavo corda tremore ſtupent.
Nulla velut quondam, dictat Polyhymnia verſus,
  Nulla mihi ſacram Muſa propinat aquam.
Nec bene cum ſtudijs Mavorti convenit, ille
  Barbariæ certus creditur eſſe pater,
Ignotas ideo fugit neglectus in oras
  Phœbus, & à noſtris vela reflexit agris.
Gandaque vileſcit nullis habitata Camœnis,
  Hinc neque, ſi cupiam ſcribere, fata ſinent.
Ter cum Caſtalijs celebraſſem ſacra Deabus,
  Diripuit ſurdus ter mea ſacra Notus:
Votaque crudelis deriſit inania ventus
  Pronus in obſequium Mars violente tuum.
Sic erit; expulſis morientur carmina Muſis,
  Nullaque cum Phœbo nota poeſis erit.
Sic erit, adverſo ſemper cruciabimur aſtro,
  Sorſque premet Patriam non niſi dura meam.
Jam prope bis ſeptem numerarunt luſtra coloni,
  Cum gemuit belli crimine læſa Ceres.
Et toties ignes, toties ploravimus arma,
  Merſaque crudeli jugera multa freto.
Cum ſibi ſubreptos nequicquam Tityrus agnos
  Flevit, & amiſſas Alpheſibæus oves.
Et modò quæ reliquas inter præluxerat urbes
  Gloria Belgiaci deliciumque ſoli,
Divitijs ſpoliata ſuis Antverpia ſenſit
  Hiſpanæ tragicum proditionis opus.
Et modò qui Francis Patriam defendit ab armis,
  Flandria cui dudum tam bene recta fuit.
Inclyta carnificis ſceleratæ colla ſecuri
  Subdidit! ò crimen Alba tyranne tuum:

Talia naturæ genuit portenta Toletum,
Miſit & in noſtras tam fera monſtra plagas,
Gentis ut infidæ ſceleratos plangeret actus
Belga, nec infelix India ſola foret:
Ut tua qua Chriſti ſuperas exempla Marane
Nota foret pietas, & ſine fraude fides;
Hujus erunt teſtes Harlemum, & dedita Nardum,
Plurimaque in varijs urbs violata plagis:
Teſtis & ille tuo qui tandem crimine motus
Pro patriâ cœpit bella movere Leo:
Qui nihil Hollandos docuit debere Philippo
Sit licet imperio divitiiſque ferox:
Qui cauſa potior, cælo quoque vindice tutus
Rettulit è veſtro clara trophæa mari.
Dum victis Avilæ ratibus, portuque, coegit
Heſperiam nimio febricitare metu.
Cetera quid referam? quemcumq; peregimus annũ
Servijt in luctus Belgica terra tuos.
Nec potuere feri lituos confringere Martis
Fœdera per multos non violata dies.
Spinola vincendo tentavit milite Bergas,
Caſanti viſo littore fugit Iber.
Naſſovium, Batavoſque animos Brabantica nuper
Cædibus & flammis diruta ſenſit humus.
Tu quoque Manſveldi, poſt tot certamina, noſtros
Tentaſti propriâ non ſine clade focos.
Scilicet hic quemquam Nemeſis vetat eſſe beatum
Vindicat hæc domini numina læſa Dei.
Belgica tam varijs olim famoſa triumphis,
Belgica tam multis nobilitata bonis,
Subjuga cui pulchram conceſſit Græcia palmam,
Reginam Solyme quam ſuperata tulit,
Dum nimis inſanâ demens agitatur Erinny,
Gaudet & indignum ſponte ſubire jugum;
Nec reliquis ſe conjungens communibus armis
Communi patrias ſervat ab hoſte domos:
In propriam cæco ſtimulata furore ruinam
Fertur, & inferias inſtruit ipſa ſuas,

Neſcia

Neſcia quod canibus qui vult imponere, panem
Oſtendat, laqueum poſt ſua terga tegat:
Neſcia fraterno viduatam lumine Phœben
Horrida vicinis ſigna dediſſe malis.
Scilicet inſtantis prænuncia fulmina cladis
Cernere, commoti non ſinit ira Dei,

ELEGIA IV.

Ad Amicum Coloniam proficiſcentem.

ERgone tam mœſtis venit properata quadrigis
Quæ procul hinc aliò te jubet ire dies?
Eſtque tibi tantum famoſa Colonia cordi
Flumine quam Rhenus divitiore lavat;
Ut neque te teneant diſcrimina mille viarum,
Nec varient animum tanta pericla tuum?
Undique crudelis facies mœſtiſſima belli
Ardet, & infeſtos miles oberrat agros;
Undique ſanguinei percurrunt arva latrones,
Tuta viatori ſemita nulla patet.
Non ſatis extincto quis ſe bene credidit igni?
Si neſcis, cineri ſubdita flamma latet.
Providus offenſo non fidit navita ponto,
Qui memor eſt placidum fallere poſſe fretum.
Quid? quod & ambuſtos Manſveldi marte per agros
Ibis, & incertis per loca culta viris?
Quid? quod & Ardûennæ tanges confinia ſilvæ?
Me miſerum! quantis ſunt ea plena malis!
Indigenas ipſos vel credes dæmonas eſſe,
Tecta vel humana monſtra timenda cute;
Ferrea vox illis, facies deformis, & ipſi
Incuſſura metum turpia membra Iovi.
Adjice jam veſtes, eſt & gravis horror in illis.
Adjice compoſitas ad ſcelus omne manus,
Adde loci faciem nihil eſt quâ triſtius uſquam.
Credibile eſt ipſas ſæpe timere feras.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Læva tibi montem, monſtrat manus altera vallem.
Monſque ſuas ſilvas, imaque vallis habet.
In medio nimium crebro peragenda rotatu
Nec via trita ſatis, nec ſatis ampla patet.
Ad loca tam multis tamen infamata periclis
Cæcus habendarum te trahit ardor opum.
Me miſerum! quid ſi Vitæ te munere privet
Militis inſani ſanguinolenta manus?
Me miſerum! quid ſi properent tua fata latrones?
Dî tribuant fati ſit prior hora mei.
Tene ego te cæſo deſertus vivere poſſem,
Pendet ab affectu dum mea vita tuo?
Muſa Poëtarum quæ mollia pectora verſat,
Non ſineret ſocio me ſupereſſe meo.
Ergo minus fidos cautè procede per agros,
Dumque domum curas, ſit tibi cura tui.
Ne malè pacato dum forſan tramite tendis
Lugeat inferias Flandria mœſta tuas.
Perge, tuoque ſatis fueris dum munere functus
Gandavum reducem, ſed citò, flecte pedem.

ELEGIA VI.

Ad Chryſoſtomum Henriques Hiſtor.

CÆleſtes animos, vulgoque incognita dudum
Nomina dum calamo liberiore refers,
Dumque tuis totus ſtudijs inſudat Apollo.
Inter & Heroes te jubet eſſe ſuos;
Nos humiles veteri juvat indulgere labori,
Certaque per certos cogere verba pedes.
Et levis indociles auram captare popelli,
Et pavidi ſummis nos ſociare viris;
Ad latices Zennæ tenui modulamur avenâ
Quod tantùm Corydon vel Melibæus amet.
Exiguos etenim ſphæram mihi ſtrinxit in actus
Natura, & magnis me vetat eſſe parem;

Sangui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Sanguineuſq;, mihi dederat quē prodiga, ſuccus
  Poſtea phlegmaticis eſt vitiatus aquis;
Et minuit gelido ſiccoque humore vigorem
  Sors gravis, & longæ tædia mille viæ.
Te melior Natura fovet, doctrinaque fautrix
  Nil finit ingenio celſius eſſe tuo.
Illa tibi vaſtum viventi pandit olympum,
  Templaque mortali non adeunda pede;
Et docet æternas Heroum ſcribere laudes,
  Et nihil invicto non ſuperare ſtylo.
Illa tibi ſummam Lacheſis dum neverit horam,
  Effugiet ſtructos non moritura rogos;
Et procul ad terras alio Titane calentes
  Deferet ingenij ſcripta diſerta tui.
Audiet, & miro celebrans tua nomina faſtu
  Fama tuo veniet non inimica libro;
Ac veteres inter ſtatuam tibi ponet & aram,
  Ad quam perpetuo thure litabit honor.

ELEGIA VI.

Ad Ambroſium Lefeve

Qvis neget? innocuas defendūt Numina Muſas
  Et Superùm vates maxima cura ſumus:
Hi mea felici diſpenſant fata tenore,
  Sorſque vetant lævas ne vehat ulla vices:
Et quamvis tetricos memini ſentire Planetas,
  Solvereque inſtabili dura tributa Deæ;
Cùm puer ignoto vixdum novus hoſpes in orbe,
  Pœne fui nimijs bis tumulatus aquis;
Cumque procul Belgis Saturnia regna ſecutus
  Multa ſolo timui, plura pericla ſalo:
Me tamen ambiguæ per tot diſcrimina ſortis
  Numine protexit diva Thalia ſuo.
Indocilemque leves populi captare favores,
  Deſidiæ vetuit ſegnia caſtra ſequi,

Hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Hæc jubet ut celebris centum Bruxella trophæis
Materiam ſtudio ſuggerat ampla meo:
Ac fontes, nitidaſq; domos, laudandaq; monſtrat
Flumina non Clarijs inferiora vadis;
Et ſimul ingenuo ſinceros pectore cives,
Et docet indigetes me celebrare Deos.
Quin etiam non degeneres mihi jungit amicos,
Quos par ad ſacras entheat ardor aquas:
Pars quorum tu magna venis facunde Lefeve
Civica pro pavidis qui geris arma reis;
Inclita quem proprio nutrivit lacte Minerva,
Et comes ad Themidos caſtra verenda fuit.
Hinc ſi Fama meam non dedignetur avenam
Mandabo cineri te ſupereſſe tuo.
Hoc nimium mihi nota fides, hoc pura merentur
Pectora, & ingenij flumina viva tui:
Hoc necis extremo nunquam violandus ab igne
Commendat, dominum quem veneramur, amor:
Hoc mihi præcipiunt tot in uno pectore dotes,
Quas tibi dat plenâ prodiga Muſa manu:
Scilicet ingratus nunquam vixiſſe probabor,
Devinctus meritis tempus in omne tuis,
Sed poſt fata mei vivant ſi forte libelli,
Et numeros repetat grata juventa meos,
Dum fugiet mutam vivax Zevecotius urnam,
Ac aliquo Famæ murmure notus erit;
Tu quoque lethææ ridebis ſpicula mortis,
Plurimus in noſtro ſcriptus amice libro.

ELEGIA VII.

Ad Alpes.

HElveticæ cautes, Bacchoque incognita ſaxa,
Et tantum ſterili culmina tecta nive,
Dum vocor Italiam tenero permittite Vati
Non nimium feſſo vos ſuperare pede;

Tuque

Tuque tuum Gotharde caput cohibere memento,
Ne mea pro lacrimis ebibat umbra nives :
Ignorata feræ lacerent ne membra volucres,
Paſcat & obſcœnas triſte cadaver aves :
Aut mage communi quondam tumulãda ſepulchro
In veſto jaceant frigida membra jugo.
Sunt mihi jura tui nimium bene nota ſacelli
Fætet ubi multis terra cadaveribus.
Hic ego tres nivium ſubverſos pondere Francos,
Hîc Belgæ memini me doluiſſe vices.
Quis ſcit an illuſtri fuerint de ſtirpe creati,
Aut ſtudij celebres nobilitate ſui ?
Forſan & ex illis Muſarum ſigna ſecutus,
Aut aliquis Phœbi clarus ab arte fuit :
Nunc procul à patrijs nulli lachrimabile terris
Fætet in Helveticâ vile cadaver humo.
Adſpice quam fragili pendent mortalia filo,
Adſpice quam dubijs ſors fluit acta rotis.
Nil hûic nobilitas, nil illi profuit aurum,
Gothardus nimiâ merſit utrumque nive :
Dumque peregrinis quondam condantur arenis
Hoſpitium ſtrigibus corpora nuda jacent.
Forſan & Helveticæ medicamina noxia ſagæ,
Oſſaque Theſſalicis dant nocitura modis.
Heu miſeri! non ulla parens germanaque vobis
Compreſſit tremulâ lumina fracta manu.
Non gelidum Syrio corpus perfudit amomo,
Non fixit rigidis oſcula ſumma genis.
Nec madidos lacerata ſinus, lacerata capillos
Ante ſteterit veſtros triſtis alumna pedes :
Quæque ſolet teneram cantu ſopire juventam,
Mortis in extremo nulla ſopore fuit.
Necdum defeſſos occluſit luminis orbes,
Cunctaque Gothardus præſtitit officia.
Spiritus ignotas expulſus ceſſit in auras,
Barbaricamque colit non tumulatus humum:
Heu ubi Rhætorum non rarò territus umbris
Obviat, & fatum poſt ſua fata timet :

Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Hoc unò felix, loculis quod pauper ademptis,
Helveticis erret liber ab hoſpitibus.
Ah melius Gotharde meis ſuccurre Camœnis,
Felicique jube me magis ire pede.
Tuque colens celſi faſtigia montis Oreas
Lapſuras retine me properante nives.

ELEGIA VIII.

Dum author Novaleſæ ratione teſtimonij ſanitatis hærere debebat.

Qvis ferat? innocui patiuntur cuncta Poëtæ,
Nullaque ſors noſtro ſpirat amica Deo.
Non ſatis hoc fuerat patrijs diſcedere terris,
Milleque longinquæ tædia ferre viæ:
Non ſatis hoſpitij violato jure rapaci
Pluſquam debueram perſolviſſe viro.
Dum Pedemontanas propero maleſuadus ad oras,
Regnaque quæ curru Sol fugiente premit,
Detineor, nebulo velut aut ignobilis erro,
Adſpicit Alpinas qua Novaleſa nives.
Quique Ducis magni commiſſa negotia curas,
Alloquio dignum vix putat eſſe ſuo:
Dumque pilâ fluidas cum ſcurris decipit horas
(Publica tam vilis munia vappa gerit,)
Non ſemel attentas feſtino commodat aures,
Nec votis aditum ſuſtinet eſſe meis.
Meque negat, comiteſque meos procedere poſſe
Ni prius hoc nobis Suſa propinqua ſinat;
Ni prius Aſſyrio veſtes ſpargantur odore:
Aut potius nummis burſa ſit orba ſuis.
Furcifer! Alpinis ſoboles digniſſima ſaxis!
Tantane, quis credat? monſtra Sabaudus alit?
Vix Francam gemino capiens interprete linguam,
Et vix Italicæ ter tria verba tenens

Iura

Iura dat externis non ulli conſona juri,
  Nec pudet interea ſe recreare pilâ:
Forſitan ut tenerum non turbet cura cerebrum
  Impar officio quod videt eſſe ſuo;
Aut merito potius victor madefiat Iaccho
  Utque ſolet potus vix queat ire domum.
Quidquid id eſt, ſerò quæ fulmina ſumo dolebis,
  Proque tuâ pœnas improbitate dabis.
Lude pilâ, nimis hoc fiet tibi ludere durum,
  Si faveat ſcriptis ulla Camœna meis.
Tune meas indigne preces, tu ſpernere Vatem?
  O pudor, ô gentis menda lueſque tuæ!
Tu facis externis vileſcere poſſe Sabaudos,
  Ante quibus ſemper fama ſecunda fuit.
Tu facis ut nullus poſthac ea regna frequentet,
  Vitet & hoſpitij barbara jura tui.
Tu facies, niſi vana meæ ſint omina Muſæ:
  Unius ut plures improba facta luant.

ELEGIA XI.

VEnimus ad Batavas, ita Dî voluiſtis, Athenas,
  Tollit ubi doctum Leida beata caput,
Nec mihi jam Patriæ ſupereſt ſpes ulla videndæ
  Perfidus immeritæ cûi dominatur Iber:
Nec mea Flandriacæ recreabunt lumina ſilvæ,
  Ternaque cum gemino fratre relicta ſoror:
Tu quoque quem noſtras toties audiſſe Camœnas,
  Et memini attento tardius iſſe vado;
Non mea vicino narrabis carmina Scaldi.
  Nec referes vitreo limpide Liſa Calæ.
Naiades Batavæ, veteris pia Numina Rheni
  Sola meos numeros, & mea ſcripta legent:
Aut magis inuictis non diſplicitura Sycambris
  Cernet ad Auſtralem doctus Apollo Sinum.
Et vario forſan nectent de flore corollam
  Quæ pretium noſtri dulce laboris erit:

Dumque

Dumque meos tenero cantabunt gutture verſus,
  Inſtituent faciles picta per arva choros,
Anrtaqne monſtrabunt divinis culta Poetis
  Sive tibi Baudi, ſive Secunde tibi;
Nec minus Heinſiadæ loca nobilitata Camœnis,
  Quæ mihi Parnaſſus, quæ mihi Pindus erunt;
Pierias illic potero reperire puellas,
  Quas procul à Flandris ire coegit Iber;
Quas quia nutrivit regina Batavia, gaudet
  Totius invidiam promeruiſſe ſoli:
His ego dum jungar nec bella timebo, nec illos
  Queis Muſas memini non placuiſſe meas;
Qui nimis adverſo producti ſidere ſolos
  Artibus ingenuis ſe ſtuduiſſe putant,
Carminaque inſano condemnant omnia faſtu
  Eſſe vident genio quæ magis alta ſuo,
Degeneres animi, quos nec furor entheus unquam,
  Nec ſacro Clarius ſuſcitat igne Deus:
Vos ego non ullo dignor contemnere verſu,
  Celſior eſt veſtris illa Camœna probris.
Sat mihi ſit ſummis non diſplicuiſſe Poetis.
  Hic ſtudij ſcopus eſt, unaque meta mei.
Infidis alij Regum famulentur in aulis,
  Vel mage ſanguinei prælia Martis ament;
Me juvat in viridis ſpatiantem margine ripæ
  Tempora ſub Batavo ducere læta polo:
Ingenteſque viros facili deſcribere verſu
  Ingenio dignos nobiliore cani;
Erectos animos, quos vel ſapientia paſcit,
  Vel Themis in caſtris gaudet habere ſuis,
Quos rigida quondam fatorum lege ſolutos
  Fama triumphata vivere morte ſinet.
Hi mea Phœbæis accendent pectora flammis,
  Et Patriæ cogent non meminiſſe meæ.
Terraque quæ vivo non eſt modo dura Poetæ,
  Servabit cineres poſt mea fata meos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIA X.
Ad Liberum Belgium.

REgia Muſarum pars præſtantiſſima Belgî,
Quam colit ut propriam diva Minerva domum;
Dum Patriæ fines nativaque rura reliqui
Nominis allectus nobilitate tui;
Hoſpitium tenero facilis concede Poetæ:
Aque tuo pavidum pellere parce ſinu.
Ignis enim veluti fruſtra prohibendus in altum
Naturæ rapitur conditione ſuæ;
Sic ſacer ingenuos qui vates entheat ardor,
Nil ſinit abjectum, nil mediocre pati:
Meque Italis, Galliſque ſimul, Patriæque negatum
Altera non voluit quam tua caſtra ſequi.
Multa quidem vidi Germano ſubdita cœlo,
Multaque Francigenis culta Lycæa viris;
Nec minus Italicas collegia ſparſa per urbes
Lumina ſpectantis detinuere mei:
Sed tibi par totum reperi nihil eſſe per orbem,
Omniaque elogijs inferiora tuis.
Ipſa licet priſcis ſedeat generoſa diſertis
Sternitur ante tuos Roma ſubacta pedes:
Quæque domi perijt, penitus ne victa periret
Tranſijt in veſtras Græcia tota ſcholas.
Si referat quoſcumque fovet Germania doctos,
Iungat & Heroes Gallica terra ſuos;
Si certet Baſilæa tibi, certetque Duacum,
Concedent titulis omnia victa tuis.
Quantum noctivagis ſplendet formoſior aſtris
Aurea dum tota Cynthia fronte micat,
Tantum famoſis famoſior una ſuperbis,
Dum patet ingenijs par nihil eſſe tuis:
Sive ea mortali Lacheſis jam corpore ſolvit,
Sive tui ſuperant lauſque decuſque ſoli.

Scaligeri

Scaligeri fuerant, fuerant tibi nomina Douſæ,
Parſque fuit famæ Baudius ampla tuæ.
Qui modò vitali perfuncti munere ludunt,
Plurimus elyſios qua lavat amnis agros.
Sed bene quod ſupereſt non una dote beatus
Cunæus Themidos Pieridumq; fauor.
Et ſimul Heinſiades patriæ decus urbis & orbis,
Et ſimul Erpeni mens generoſa mei.
Nec minus hiſtorici laus Voſſius ampla theatri,
Quiq; mathematica Snellius arte valet,
Nec minus in Friſijs celeberrimus Ammama campis
Ac in vicina maximus Vbbo ſchola.
Balckiadeſq; meus, doctiq; Iſacius oris
Ambroſiuſq; animi pura medulla mei.
His Dea ſi noſtram digneris jungere Muſam,
Nominibus tantis ſit licet illa minor,
Quæ prius Auſoniæ cecinit præconia Romæ,
Serviet in titulos obſequioſa tuos.

ELEGIA XI.

Ad Petrum Cunæum.

Pieridum Cunæe decus, quem nobile juſſit
Inter honoratos nomen habere Themis,
Dum bona felices ducunt tibi ſtamina Parcæ,
Sorſque tibi dubias non ſinit ire vices:
In me dura gerit Fortuna tenaciter arma,
Vltima nec lentis hora ſit ulla malis;
Quæque fuit primis olim mihi flebilis annis,
Non didicit longa mollior eſſe die.
Sive meas lævi cunas videre Planetæ,
Et Venus adſpectu non fuit æqua ſuo;
Seu mage doctarum nocuerunt ſacra Sororum;
Neſcio, ſed miſerum me nimis eſſe ſcio.
Vix puer, ut mos eſt, gelidis recreabar in undis,
Vix puero Nais inſidiata fuit.

Cetera

Cetera non memini teneræ diſcrimina vitæ,
  Libera cum nondum vis rationis erat.
Sed bene quæ tulerim terraque mariq; recordor
  Itala dum tellus bis mihi viſa fuit.
Tunc ego me ſtrictis defendi ſtrenuus armis
  Cum domus hoſpitium mî ſcelerata foret
Tunc lectum ſemel ante meum mucrone timendus
  Adſtitit, & noſtro fugit ab enſe latro.
Pluraque perfregi, quorum meminiſſe juvaret,
  Sorte darent Superi ſi meliore frui.
Iam quoq; dum Batavis hoſpes delector Athenis,
  Sors, quia ſum nondum civis, acerba furit,
Et quamvis Ratio venientibus obvia curis
  Excubet ante animi ſpe meliore fores;
Victa tamen tandem cum ſit vigil unica cedit,
  Et lentæ nimium par nequit eſſe moræ,
Somniat hinc centum ſibi mens phantaſtica caſus
  Quoſq; putat vanos, pergit amare metus.
Interea nullas exerceo degener artes,
  Quæq; cor incendit enthea flamma tepet,
Sæpe novem doleo me ſacrificaſſe Deabus,
  Et clario notum pœnitet eſſe Deo,
Sæpe velut ſoleo meditanti ſcribere carmen
  Sortis ſe facies ingerit atra meæ;
Luminaq; in fletus, abit in ſuſpiria pectus,
  Et cadit è tremula penna caduca manu.
Adſpicis exſangues ægrè prorepere verſus?
  Aruit ingenij quæ mihi vena fuit.
Adſpicis antiquum non reſpondere vigorem?
  Ille meis vertit jam quoque terga malis.
Neſcius iſtorum meus Heinſius hæret in aula,
  Sortis & adverſæ me finit eſſe reum.
Tu quoq; diſcedis profugæ ſpes altera Muſæ,
  Hei mihi patronos ſic rapit Haga duos:
Sic miſer in veſtra reſtat Zevecotius urbe
  Solus, & haud ullum quo recreetur habens.
Iamq; teret cunctas ut inutilis umbra plateas,
  Nec renuet curis libera frena ſuis.

Otiaq;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Otiaque infelix non ullo carmine fallet,
O nimis ingenio tempora læva meo!
Dura quid immeritum tam diû fortuna laceſſis?
Deſine, vel vitæ deſinat aura meæ.

ELEGIA XII,

Ad Ambroſium Theunemans,

HEi mihi quam variâ jactamur ſorte Poëtæ.
Hei mihi quot fatis ſubdita turba ſumus!
Arbitror, & certum eſt, Naturæ ludio Vates
Mundanæ ſcenam mobilitatis agit.
Ille ego qui ſummis memini placuiſſe Monarchis,
Qui cæcâ potui celſior eſſe Deâ:
Vilis, & in veſtro nondum bene cognitus orbe,
Spreta prius dudum Fulmina læva gemo;
Inviſumque mihi phantaſticus exigo tempus,
Servit & in varios noxque dieſque metus,
Quos niſi ſincero minuiſſes nuper amore
O mihi luminibus plus adamate meis,
Forſitan ignavum malè doctus perdere tempus
Hoſpes in ignoto jam procul orbe forem:
Nullus & in Batavis eſſet Zevecotius agris;
Qui modò, quæ damnat otia, triſtis agit.
Tu deſperantem monitis ſolatus amicum
Monſtraſti niveâ pectora pura fide:
Quin etiam vultuſque tuos animumque notavi
Fortunæ vicibus condoluiſſe meæ.
His ego pro meritis dignas quia ſoluere grates
Hactenus adverſâ conditione vetor;
Sive, quod exopto, Batavis extinguar in oris,
Sive manent alio me mea fata loco;
Carmine teſtabor quid, dum bona Parca favebit,
Pro tam dilecto pectore ſemper agam:
Sique prius moriar, mecum tamen iſta voluntas
Ibit ad Elyſium non moritura nemus.

ELEGIA

ELEGIA XIII.

Ad IANUM RUTGERSIUM *Regis Sueciæ Legatum.*

DUm tibi Rutgerſi nent aurea tempora Parcæ;
Et ſtudet in titulos Fama favorque tuos;
Exilium tetricis gaudes indicere curis,
Quas mea tam lentâ compede Muſa trahit.
Et modò magna tui peragis mandata Monarchæ,
Conſulis & ſummos non minor ipſe Viros.
Et modò jucundos dat bibliotheca receſſus,
Funeris ignarum vel meditaris opus.
Aut Dryadum viſis thalamos, Hollandica tempe,
Inclita vicinum qua videt Haga nemus.
Aut mage Britannum quæ proxima deſpicit æquor
Regibus optandos dat Sceverina dies.
Mille nec ignavi curas deliria vulgi,
Nullaque cum morbis ſollicitudo premit.
Sic homines vixiſſe puto cum prodiga ſponte
Læſaque non ullo vomere terra foret.
Omnia Saturnus ſine vi, ſine lege regebat,
Vilis opum nondum nomen habebat amor.
Mollia tranquillæ ducebant otia gentes,
Cæca nec ambiguo ſtabat in orbe Dea.
Candida ſimplicitas operoſi neſcia fuci
Nunc rerum dominas non ſitiebat opes.
Dives erat Clariâ qui præcellebat in arte,
Non alios cenſus ſancta ſciebat humus.
Sæpe togam, caligaſque lacer veniebat ad aulam,
Et Vati hoſpitium protinus aula dabat.
Nec puduit Proceres lepidos tractaſſe Poëtas,
Et menſæ ſocios apposuiſſe ſuæ:
Nec, velut ignari jam credunt, pauper amictus
Indicium mentis pauperioris erat.

In precio veſtes nunc ſunt, quia plurima fraudum
  Celantur lacero non bene monſtra ſinu.
Quam procul à primo defecit tempore mundus!
  Quam procul à priſcis degeneravit avis!
Iupiter in triſti Corybantum creverat antro
  Maternis patrio tutus ab ore dolis;
Vixq; puer quintum decimumq; peregerat annum,
  Movit in inviſum cùm fera bella Patrem:
Territus imperium Nato ſceptrumq; relinquens
  Exul in Italico diû fuit orbe Senex:
Nec tamen hî manſit, juſſus diſcedere tandem
  Aut Iovis, aut Iani proditione fuit.
Nō procul hinc ſtygios iter eſt quod ducit ad amnes,
  Vaſta ſtat in medio quam colit Ira domus;
Venit eò fugiente die, laſſusque viarum
  Hoſpes in inventâ ſubſtitit æde Deus;
Vtque fit; indomiti dum narrat crimina Nati,
  Condoluit miſero flebilis Ira ſeni:
Inque Iovis regnum diram properare ſororem,
  (Vindictam genitrix Perſephonæa vocat)
Criminaq;, & morbos, cum curis ſpargere mādat,
  Et ſi quæ Phlegeton deteriora parit.
Illa volans, ſecumq; ferens ter mille venena,
  Noxia per totam ſemina jecit humum;
Quæ citò diverſis paſſim creſcentia formis,
  Legit in exitium plurima turba ſuum.
Tunc prius innumeræ repererunt nomina febres,
  Nataq; cum morbis tunc medicina fuit.
Ignotos genitrix ſenſit paritura dolores,
  Votaq; Iunoni prole ſoluta tulit.
Vix genitus vitam lachrimis planctuq; ſalutans
  Naturæ doluit triſtia jura puer.
Tunc quoq; ſimplicitas Dominorum fugit ab aulis,
  Divitijs tribuens criminibuſque locum.
Et vetus heroum virtus ſpoliata favore
  In ſuperas abijt non reditura domos:
Hei mihi, tam miſerum qui flectis Iupiter orbem,
  Quam cuperes Patrem non ſpoliaſſe tuum!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Tu quoque quæ natum ſtultè miſerata fuiſti,
Quam malles lapidem non tribuiſſe ſeni!
Nil agis, abjecit veterem Saturnus amorem,
Inque tuum ſubijt nupta novella locum.
Aëris, & craſſi ſoboles putredo vaporis
Invaſit thalamum qui tuus ante fuit.
Illa Deum fecit monſtroſâ prole parentem,
Cûi macram lacerant ulcera fœda cutem:
Membra ligat torpor; vitium vox læſa fatetur;
Mœſtaque, ſed nullo jure coacta, gemit;
Igneus infecti malè fætet anhelitus oris,
Nec viget in ſanis qui ſolet eſſe color:
Vix importunum valet expugnare ſoporem;
Horridaque in gemino lumine flamma micat,
Dumque cibos horret, ſemper ſitit arida; corde
Palpitat; & bilem ſæpe luemque vomit:
Et modò per totum fertur furibunda cubile:
Et modò convulſo corpore multa dolet:
Hactenus à neutro nomen ſortita parente
Dicitur, at peſtem terra fretumque vocant.
Hæc quia debilibus vix ſcit procedere plantis
Ignivomis vehitur quos regit Auſter equis.
Cumque ſuâ famulâ (Libitinam priſca vocabant
Sæcula, pòſt Mortis nomen adepta fuit.)
Regna ſuo quondam repetit dominata parenti,
Et venit innumeris pernitioſa plagis;
Neve propinquantis dubitet de tempore mundus,
Ante ſuos mittit plurima ſigna pedes.
Hinc malus aëreo liveſcit in orbe cometa,
Hinc micat à fatuo ſæpius igne ſolum.
Cynthiaque antiquo luget viduata decore,
Titanis faciem vel tenebroſa tegit.
Quin etiam mures, inſectaque plura videntur;
Multus & in folijs pallet ubique cinis.
Quin etiam paries ſolito mage fætet & humet;
Quæque vides, labi ſidera ſæpe putas.
Illa Batavorum modò ferrea ſævit in oras,
Ac adytis Phœbum cogit abeſſe ſuis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nil præter gemitus, & triſtia funera Leida,
  Nil præter tumulos & ſua damna videt.
Æraque communem ſonitu teſtantia luctum,
  Plangendis nequeunt tot ſatis eſſe malis.
Omnia Lugduni triſtantur, & omnia ſquallent,
  Sola cadaveribus plena tumeſcit humus.
Quam bene feralem vitat meus Heinſius urbem,
  Et loca ſecuro non adeunda pede!
Huic, quia ſors noſtris aliud negat aſpera Muſis,
  In veſtrâ voveo plena ſit æde ſalus.
Donec, Leida malis fuerit cùm libera, ducat
  Sub cœlo placidos commodiore dies.

ELEGIA XIV.

In mortem Iani Rutgerſij.

DUm tua Rutgerſi ruperunt fila ſorores,
  Fila minus fragili currere digna colo;
Et tibi tot lachrimis doctorum ſcripta parentant,
  Quæque tuos cineres nobilis Haga tenet:
Et tibi ſubreptum probitas ſuſpirat alumnum,
  Magnatumque dolet Phœbus obîſſe decus.
Nos miſeri, qui te vivo jactare ſolemus
  Tam procul à Patria non caruiſſe Patre,
Plangimus, & juſto laxamus fræna dolori,
  Et modo nil præter illachrimare juvat.
Dî mihi ſunt teſtes, ex quo mea rura reliqui
  Et fuit hoſpitium terra Batava meum;
Nulla dies tam nigra mihi tam flebilis unquam
  Ivit, quam vitæ quæ tibi ſumma fuit.
Illa meas toto proſcripſit corde Camænas,
  Illa hederas, lauros extulit illa meas;
Ah aliquot Natura meis dempſiſſet ab annis!
  Ne tua deficeret his reparata colus;
Sic tecum mea vita mihi jucunda fuiſſet,
  Nam ſine te vitæ vix mihi cura meæ eſt.

Quam

Quam vellem dum cruda tuos ſcidit Atropos annos
  Hanc ſimul ætatis fila ſcidiſſe meæ!
Tecum ego jam ſuperis felix ſpatiarer in hortis:
  Tecum ego mortali celſior orbe forem.
Et titulos ſuper aſtra tuos mea ſpargeret umbra,
  Et quæ te coleret non foret ulla prior.
Non licuit: nocuere tibi crudelia fata,
  Quæ mihi, dum cupio, non perimendo nocent.
Ah utinam dum ſurda meis ſunt omnia votis,
  Hoc ſaltem liceat te cito poſſe ſequi!

ELEGIA XV.

Ad IOHANNEM vander HEL. *Conſulem Harderovicenum.*

HElliade terræ decus immortale Sycambræ,
  O lux ô Muſæ nobilis aura meæ!
Dum tibi jucundos rus dat geniale receſſus,
  Et procul à curis otia lætus agis;
Accipe quæ veſtrâ nova jam ſpargantur in urbe,
  Sed tamen hiſtoricâ non tibi ſcripta fide.
Urbs jacet in flandris, *Hulſtum*, notiſſima terris,
  Mattiacis nimium pernitioſa plagis,
Dicitur hanc Princeps circumſediſſe, ſed eheu!
  Neſcio quid timeam, multa timere jubent.
Nota nimis mihi ſunt vicinos geſta per annos,
  Terraque non facili ſæpe petita Deo.
Ipſe ſatis noſti; nec opus mihi plura referre,
  Turpe foret tantum velle docere Virum,
Interea cum te reducem dulciſſime rerum,
  Exſpecto, & voveo proſpera multa tibi;
Opto tuæ Dominæ ter centum baſia figas;
  Pluraque ſi non ſit deſidioſus amor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIA XVI.

In mortem Everardi Vorſtij.

ITe dein Muſæ. Quid adhuc juvet eſſe poëtam,
Quotidie lachrimis dum mea ſcripta madent?
Et toties miſeras invito pollice chordas,
Et toties querulum tangere cogor ebur?
Nec ſatis heu ſocijs extrema litaſſe Poëtis,
Quos ſignata meo carmine ſaxa tegunt;
Nec ſatis aſſuetos redimiri Daphnide crines
Cupreſſo tragicas ſæpe probaſſe vices;
Dum propter patrij puriſſima flumina Liſæ,
Vel magis ad latices Rex Tiberine tuos,
Naiades varias à me didicere querelas,
Et lachrimis faciles condoluere Deæ.
Tu quoque Rhene meos auſcultature dolores
Narrabis populo triſtia multa tuo,
Vorſtius Hollandæ nuper laus rara Minervæ,
Me jubet exequias, & ſua juſta ſequi:
Me jubet Aonias iterum deponere lauros,
Et triſtes apij cingere fronde comas;
Communemq; meo comitari carmine luctum,
Damnaq; Lugduni non reparanda queri;
Illa quidem magno ploravit flebilis ore
Cunæus Themidos Pieridumq; favor;
Qui meritis ſuprema tuis Vir maxime ſolvens
Expoſuit vitæ fata ſtupenda tuæ,
Quid te vera Fides, quid te tolerare coegit
Perfidus, & noſtro ſanguine paſtus Iber.
Qualis ad Heſperiam Venetûm perrexeris oram,
Quæ ſola Italiam non finit eſſe rudem;
Doctus ubi rapuit ſibi tempora verna Galenus,
Inq; tuos titulos officioſus ijt.
Quomodo dum Batavas iterum te vertis ad urbes
Leyda ſit ingenio facta ſuperba tuo:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Quæ tua dum juſto ſequitur modò funera planctu
Et vix ſiccandas ſolvitur in lachrimas,
Nequicquam fatis, nequicquam dira precatur,
Vellet & hoc morti non licuiſſe ſcelus.
Interea tu liber ovans curiſq; maliſq;
Altius humanis fers ſuper aſtra caput.
Nullus ubi tibi morbus obeſt. Non ulla nephritis
Renibus inſidias vix medicanda ſtruit.
Et procul è ſummo ridens mortalia cœlo
Quæ nos ploramus funera, læta vocas:
Nec miſero velles iterum te corpore claudi,
Libera nec veteri ſubdere colla jugo.
Scilicet immeritò damnamus fata, beatum
Ante necem quemquam non ſinit eſſe Deus,

ELEGIA XVII.
In Invidum.

INvide quid noſtræ toties monumenta Camœnæ,
Quid damnas faciles in mea vota Deas?
Quid tua nocturnis impendis ſomnia curis
Carmina pallenti dum mea fronte legis?
Dum gemis auguſtam nobis applaudere Famam,
Tradereq; æternis ſcripta probanda viris:
Ac aliquid Belgas, aliquid mea carmina Gallos
Dicere, & Heſperio quiſquis ab igne calet?
Haud equidem tanti eſt ſtulti cenſura Thraſonis,
Ut ſtudij valeat fræna tenere mei.
Perge miſer lento tabeſcere pectora morbo,
Miles & Invidiæ triſtia ſigna ſequi.
Non ego te timeo, quamvis tibi Delius amnis
Proximus Aonias fundere poſſit aquas:
Scilicet indignis nihil hæc vicinia prodeſt,
Alter & hoc ſæclo Tantalus eſſe poteſt.
Quin etiam fama eſt aſinum perſæpe Sileni
Pocula Pegaſeis hauſta bibiſſe vadis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nec tamen hîc quidquam didicit, qui tardus aſellus
Venerat, hinc iterum tardus aſellus ijt.
Eſt aliud ſacris agitari pectora flammis,
Eſt aliud clauſum corde fovere Deum:
Ille jubet viles populi contemnere curas,
Ille jubet nugas ſemipoeta tuas.
Templaq; perpetuæ pandens ſublimia Famæ.
Majorem invidiâ me probat eſſe tuâ.
Tempus erit cum plebei pars muta ſepulcri
Preſſus ab ignotæ mole jacebis humi:
Impia ferales accedent buſta volucres,
Et gemet ad tumuli plurima bubo fores.
Tunc centum miſeros damnabunt crimina Manes
Tunc ſpuet ad nomen cuncta juventa tuum.
Quæq; gravem triſti ſignat modò pollice faſtum
Fama tuo veniet non niſi dura rogo:
Forſan & inſcribet meritâ breve carmen in urnâ;
Hîc jacet invidiæ, barbariæq; reus.
At mea fatales dum ſcindent ſtamina Parcæ,
Feſſaq; componet lumina ſumma dies:
Candida cygneis ſpargentur corpora plumis,
Et procul hinc alio ſub Iove tutus agam.
Non poterit quæcumq; mihi fortuna nocere,
Et veniet capiti mors ſine morte meo.
Eſt locus extremis procul hinc conterminus Indis
Ridet ubi nullo crimine læſus ager:
Elyſios olim campos dixere Pelaſgi,
Spiritus huc quoniam carne ſolutus eat.
Aurea non uno veſtitur terra colore,
Pictaq; gramineos efficit herba toros.
Credibile eſt iſtis decoratum dotibus orbem
Ante cruenta feri regna fuiſſe Iovis.
Cum nondum gladios, infauſtaq; noſceret arma
Mundus, & injuſſus tritica ferret ager,
Nec femur inſano gravidum tumuiſſet Iaccho,
Nec maris è ſpumâ Cypria nata foret.
Hîc populi mores, & crimina fæda peroſæ,
Et ſortis dubias deſipientis opes.

Inſontes habitant pallatia libera Muſæ,
Indociles vulgi conditione regi,
Hic propter vitreas lyricus Torrentius undas,
Plectra Venuſinis non leviora ferit.
Vrientius hic veteres felix comitatur amicos,
Et numerat cives terra beata tuos:
Attonituſq; legit ſublimia nomina Vatum
Quos peperit fauſto Belgica docta ſinu.
Nos quoque ſi fas eſt , numero referemur in iſto ?
Et veniet cineri laus aliquanta meo.
Interea tu perge meos damnare labores,
Scriptaque tam vili non agitanda foro,
Phœbus erit judex cum tu veſane tacebis,
Perge modò, & ſtupidum te ſimul eſſe proba,

ELEGIA XVIII.

Ad IOANNEM ISAACIUM PONTANUM,

DUm tibi Danarum Scriptor celeberrime rerum
Nectit Apollineà fronde Camæna caput;
Inque tuas laudes conſpiravere Poëtæ,
Queis nihil immenſus clarius orbis habet:
Emeritum tibi metra cupis quoq; ſcribere Vatem,
Et nomen tantis jungere nominibus,
Scilicet ut niveos anſer comitetur olores,
Tentet & ingenio nobiliora ſuo.
Non ego ſum qui nuper eram, cum tetrica nondum
Sors pareret curas quotidiana mihi.
Dulcia cum faciles dictarent carmina Muſæ,
Laurus & ambiret non niſi læta caput,
Cum teneræ gratos canerem Thaumantidos ignes,
Et colerem Nymphas terra Batava tuas.
Aut prius accedens infractos Marte Sycambros,
Fata mihi nondum cogerer atra queri:
Proſpera crudeles verterunt omnia Divi,
Et procul à Pindo jam miſer exul agor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Aſt quæ fila tibi nent feliciſſima Parcæ
Indulgent ſtudijs omnia fauſta tuis.
Hæ Medicum, Criticumq; prius, Vatemq; crearunt.
Hæ modo dant magnum nomen ab hiſtoriâ.
Gratulor, hoc ſatis eſt: fruſtra celebratur ab ullo
Qui celebrem toto ſe ſatis orbe facit.

ELEGIA XIX.

Ad. IOANNEM WITTEN.

DUm juſtis lachrimis Juſto ſchola noſtra parentat,
Queis ego, queis juvenes, queis maduêre ſenes:
Te quoque Wittiade, magni ſpes magna Parentis,
Noluit officio Muſa deeſſe tuo.
Planxiſti meriti de te bene funus Amici,
Et fuit in lachrimas ingenioſus amor.
Is tibi dictavit triſtiſſima carmina mœſtus,
Carmina fatali non peritura die:
Quæ tuus admirans Zevecotius, eſſe fatetur
Ætatem ſupra prodigioſa tuam:
Mnemoſynesque ſacris vel nunc digniſſima faſtis,
Et cunctis quotquot præmia Phœbus habet.
Hæc pietas, virtuſque tua, & doctrina merentur;
Hæc patria exoptat, cum patriaque Pater.

ELEGIA XX.

Bene qui latuit, bene vixit.

STulte quid audaces prodeſt attollere criſtas
Quidve relapſuro tendis ad alta pede?
Quid dabit ambitio? quid inanis gloria mundi,
Injiciet rapidas dum tibi Parca manus?

Nonne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nonne vides tragico veſtiri murice Reges?
Et miſeros ſemper multa timere Duces?
Nonne vides magnis vaſtari magna ruinis,
Turris ut obliquo fulmine tacta cadat?
Quo fugit tumidi fallax opulentia Cræſi?
Aut ubi ſunt tituli Roma vetuſta tui?
Quo fugit magni miranda potentia Cyri?
Aut ubi ſunt animi Græcia priſca tui?
Scilicet hæc periere, ſuiſque incluſa ſepulchris,
Nil reliquum præter nomen inane tenent,
Quidquid ab omniparâ vitam tellure recepit,
Quidquid & alta ſuo Luna ſub orbe videt;
Ferrea mortales diſpenſans Atropos annos,
Subjectum voluit legibus eſſe ſuis
Sive quis antiquos numeret longo ordine Patres,
Et jactet generis fortia geſta ſui;
Sive quis immenſos auri corradat acervos,
Iejunoque ſuas lumine ſpectet opes.
Non poterit mortis ſeſe ſubducere telis.
Tendere vel vitæ fata ſtatuta ſuæ.
Nil levis haſta tibi, nil ſtrictus proderit enſis,
Arceri nullo Parca timore poteſt.
Nil tibi divitiæ, nil fulvum proderit aurum,
Pauper ad infernos cogeris ire lacus,
Illic dum ſtygio medicata papavera rore
Lethæoque bibes pocula plena vado:
Adſcribet rigidus te mutis Aeacus umbris,
Et Nemeſis titulos detrahet æqua tuos.
Tunc qui debilibus jam tentas ardua pennis
Spretus, & haud ullo nomine clarus eris.
Vive igitur dum fata ſinunt; & diſce latere,
Vivere nam neſcit, qui latuiſſe nequit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIA XXI.

Ad Chriſtum Redemptorem, cum Auctor æger eſſet.

CUr metuam quam falſa vocat perſuaſio mortẽ?
  Quæ vitæ potius nomine digna fuit.
Nempe meus me morte ſua ſalvavit Ieſus:
  Nequa deinde mihi mors metuenda foret.
Mnnde vale; mihi nulla dein mala lingua nocebit:
  Non ultra invidiæ tela doloſque querar.
Exilij loca mœſta mei rellinquo libenter;
  Diu ſatis in terris triſtia multa tuli.
Tu, qui mortali dignaris ſoluere vinclo
  Me, qui te volui Chriſte videre diu.
Filioli memor eſto mei, memor eſto parentis,
  Tendat ut in caſtris ſemper uterque tuis.
Deſtituerque meos dum feſſus anhelitus artus,
  O Pater, ô animæ ſit tibi cura meæ,
Illa quidem trepidat tam multo crimine turpis,
  Et timet offenſi fulmina juſta Dei.
Promiſſi dignare tui meminiſſe Redemptor,
  Nam ſpes in meritis eſt mihi ſola tuis.
Munere nempe tuo fruitur jam Magdala cœlo,
  Et Latro vitam, quam tibi debet, habet.
Ergo tuus ſum Chriſte, tuus mi Chriſte manebo,
  Vivam ſeu moriar ſanguine vivo tuo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ELEGIA XXII.

IN OBITUM

Suaviſſimæ filiolæ.

MARIÆ ZEVECOTIÆ.

Nata eſt } *Hardervici* { $\frac{13}{23}$ *Oct.* 1630
Denata eſt } *Hardervici* { $\frac{14}{24}$ *Au.* 1635

QUinq; tibi nondũ Lacheſis perneverat annos
  Cum te mors rapuit ô mea nata mihi,
Nec, poſthac vario diſponens ordine pupas
  Narrabis Matri dulcia multa tuæ;
Nec, quod nos toties memini riſiſſe, coævis
  Præſcribes leges imperioſa tuis.
Nec feſſum ſtudijs, prout ô mea vita ſolebas,
  Mulcebis blandâ garrulitate Patrem.
Aut etiam teneris collum complexa lacertis
  Mille mihi rapies oſcula, mille dabis.
Omnia jam mors atra tenet. Deforme cadaver
  Reſtat, & haud ulla nobile dote jacet.
Sed bene quod veræ pietatis ſigna notarit,
  Quiſquis in extremo teſtis agone fuit.
Continue, dum ſponte tuâ, tam parva, vocaſti
  Et corde & linguâ deficiente Deum:
Dum tibi qui proprij te ſanguinis ære redemit,
  Cum nece luctanti Chriſtus in ore fuit,
Hoc ſaltem miſeri lætum videre Parentes,
  O Deus! ô liceat ſic mihi poſſe mori,

Pura, nec invideo tua Mens aſcendit in altum,
 Et fruitur veris non ſpolianda bonis.
Terra tegit cineres lachrimis madefacta Parentū:
 Quæque tuos cineres, gaudia noſtra tegit.
Hëi mihi quam carè conſtant ea gaudia nobis!
 Hei mihi quam longum ſyrma doloris habent!
Ah utinam ante tui clauſiſſes lumina Patris!
 Tantillum Natæ non licuiſſe queror.

In ejuſdem mortem.

PROSOPOPOEIA

Ex perſona

PATRIS

Auctore

N. V. ERNESTO BRINC,

Urbis HARDERVICENÆ Conſule.

ME primum lauro decoravit *Græca Maria*,
 Gelrica triſtitiæ ſed mihi cauſa fuit.
Inter eas tamen hoc diſcrimen, *Græca Maria*
 Ficta & non vera eſt; *Gelrica* vera fuit.
Hauſtus erat vitalis ei vix ſpiritus; ecce
 Marceſcit, florem ſuſtulit atra dies.
Hanc dignam quivis, dum vixit, dixit *amari*:
 Sed quid amor mundi: gaudet amore Dei.
Sæpe ſolet mundus blandiri, & inanibus angit:
 Ante fores ſubito triſtia multa parit.

ALIUD

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ALIUD
JOANNIS ISAACII PONTANI
Profeſſoris celeberrimi.

GAudia quot dederas, tot fers Maria dolores:
  Quando tui meminit charus uterque parens.
Quis meminiſſe nequit? quis te non geſtet ocellis?
  Tam jucunda foris, quam cata, blanda domi.
Te modo ſurreptam tamen ætas illa requirit,
  Illa coæva tibi, quâ tibi luſus erat.
Hæc os, hæc oculos abſentis flagitat uſque
  Mariolam ingeminans tam ſibi dulce latus.
Sed fuit id, fulget modo gemmula juncta Canopo;
  Ut dilecta ſolo, ſic quoque chara Polo,

Calliope ad Lectorem.

QUi legis hæc Flandri divina poëmata Vatis,
  Tamque piæ venæ plura videre cupis,
Incuſa Lacheſim, Lacheſis rapiendo Mariam,
  Heu rapuit Vati gaudia cuncta meo.
Illa quidem vixit; ſuperiſque immiſta choreïs
  Militiæ pars eſt delitioſa meæ.
At miſer heu genitor, ſpontaneus Aonis exul
  Mæret, & orbati turturis inſtar agit.
Et ſeu nativæ ſe tellus ſubtrahat umbræ
  Et ſeu phæbææ ſe neget illa faci;
Continuis lachrymis Zevecotius ora rigatur;
  Fataque filiolæ deflet acerba ſuæ,

Crudeles

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Crudeles Superos, crudelia ſidera clamat
  Et jam, dulce ſuum, non magis eſſe ſuum:
Quin, ejurato Pindo, mihi dixit acerbum
  Ter vale, reſque meas juſſit habere mihi.
Et nunc ille dolor quarto non deficit anno,
  Angit adhuc patrem rapta Maria ſuum.
Sic Aganippææ potor celeberrimus undæ
  Deſinit eſſe meus, deſinit eſſe ſuus.
Dj faciant, ne diû meus & ſuus eſſe recuſet,
  Et periiſſe putet, quod periiſſe videt!

EPIGRAMMA

Ad

JACOBUM ZEVECOTIUM

NI ſpiret Zephyrus, nil ſpirat nobile cycnus,
  Hinc Gandenſis olor, deſinis eſſe tuus;
Hoc eſt, interpres divûm, Phœbique ſacerdos,
  Hinc tibi Pierides, hinc tibi ſordet Amor,
In natâ Zephyrus periit tuus, illa voluptas,
  Illa tuus Zephyrus, dum fuit, una fuit.

JOH. WITTENIUS

JACOBI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

JACOBI ZEVECOTII
Tragœdiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Ampliſſimo & Clariſſimo Viro

SIMONI vander MEYDEN,

Rei monetariæ per confæderatum Belgium Præfecto generali.

MAgne Vir, omnipari non infima gloria Belgî,
Delitium Patriæ præſidiumque tuæ:
Accipe quæ tragico tentavi pauca cothurno,
Et ſint auxilio carmina tuta tuo.
Parva quidem, magnoq; damus minus apta Patrono,
Et vix judicii digna favore tui.
Sed mage felicem dum me vetat eſſe Poëtam,
Melpomene ſtudijs non ſatis æqua meis;
Dumque minus fauſto radiant mihi ſidera vultu;
Nullaque Pierias Muſa miniſtrat aquas;
Tu pavidæ monumenta pius defende Camænæ,
Et facilem præſta quam nequit Auctor, opem,
Scilicet hoc æquum eſt teneros non ſpernere vates,
Et timidæ dubium flectere navis iter.
Hoc decet & ſtudijs & tanto nomine clarum.
Hoc decet ingenij numina diva tui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

MARIA GRÆCA.

PERSONÆ.

Maria Græca. Executor Sententiæ.
Voluptas. Nuncius.
Melicerta. Fides conjugalis.
Senex. Chorus.

ACTUS PRIMUS.

Maria.

Beate rerum Genitor, & magni potens
Dominator orbis, cujus æternum tremit
Natura Numen, quique decreto ſemel
Tenore flectis labiles rerum vices,
Et lege certâ, nulla quam violet dies,
Elementa ſtabili cuncta connectis fide;
O qui univerſi cenſor & judex ſedens
Arcana placita cordis humani vides,
Non viſus ipſe; quamdiû cœli Pater
Tot involutam ſordibus terram ſines,
Tot implicatam fraudibus, quas omnium
Libido ſcelerum mater in mundum tulit?
Quoſque miſeros carceris lenti rea
Centum dolores inter & dubios metus
Iniquioris exigam vitæ dies?
Quid pertinaces non adhuc rumpis moras
Defeſſe dudum ſpiritus? ſatis diû
Mundo caducæ ſortis exemplum dedit
Orientis olim Domina, per tot jam dies
Sævum mariti Cæſaris faſtum pati
Coacta, & atrum carceris iniqui ſpecum.
Quid adhuc moraris anime? quid lentos mihi

Adhuc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Adhuc dolores ſuggeris? ſceptro excidi,
Toroq; pulſa præſtitam contra fidem,
Et invocatum jurejurando Deum,
Tormenta centum patior, & centum neces,
Dum vereor unam. Scilicet nunquam ſatis
Secura ridet illa, quæ Regum potens
Mundi Monarchas lubricâ verſat manu,
Nulliq; certam Principi ſervat fidem
Aulæ voluptas. Scilicet longum eſt nihil,
Ingenſq; noſtris ludit in rebus Deus,
Et utriuſq; mille Mæandros jubens
Nos ferre ſortis, mille per curas trahit.
Quodcumque cœlo Luna ſubjectum ſuo
Primi Parentis ſcelere damnatum videt,
Dum vix in auras matris è ſinu venit,
Noverca vita ſequitur, & conſtans labor,
Nunquamq; ſtabiles ſortis humanæ vices.
Sic ſæpè tellus vere dum primo calens
Recreata Zephyri ſpiritu excuſſit nives,
Brumamq; campis penitus ejecit ſuis,
Multâ nitentem purpurâ togam induit,
Crinemq; pectens inde formoſos jubet
Radiare cyanos, inde qui ſimili refert
Beryllus ore viride Neptuni fretum:
Queis implicatæ quotquot aut gemmas Arabs,
Aut uniones Ormus in freto legit,
Magnæ ſerenum matris exornant ſinum.
At ipſa jam ſuperba, nec brumæ memor
Solemq; & omnes rapit in aſpectum ſui
Poli Penates, ac honoratum caput
Levans ad aſtra, nil dein cœlo invidet,
Contenta ſtellis æmulos flores dare.
Tunc inter umbras arborum repetit ſuos
Philomela queſtus, & ſuavi carmine
Sudantis ægrum ruſtici mulcens opus,
Immite tardos animat ad jugum boves,
Tunc inter herbas rore ſtillantes novo,
Et inter uda gramina, & molles roſas,

Violaſque & undique dulce ſpirantes crocos
Puella graciles flectit in gyrum pedes,
Et juncta puero ludicros ducit choros;
Quouſque luſum feſſa dimittens ſuum
Vel captat umbras nemoris, & propter leves
Aquæ ſuſurros languidum inclinat caput,
Et innocenti ſomnio curas domat:
Vel magis amœnas nobilis Floræ comas,
Et quotquot almus rore geniali fovet
Zephyrus colores ungue ſolerti legit,
Et curioſè digerens ſertum parat
Nymphis futurum munus. O quàm lubrico
Iactatur æſtu, quidquid infelix putat
Valere mundus! illa tot gemmis modò
Ornata tellus, illa tam varijs ſtatim
Beata donis, quæ vel aurato ſinu
Certare pictis potuit aſtrorum choris;
Illa illa verna terra, dum primum Notus,
Aut torvus Aquilo floridam eripuit togam,
Languet, decuſque mœſta ſuſpirat ſuum;
Nulliſque cernens arbores ſpargi comis,
Nulloque campos gramine, indignum caput
Pudore juſſa nivibus & gelu tegit.
Heu tunc aëdon garrulo nuſquam ſono
Permulcet aures, nulla plorantes Venus
Ludit per agros. luridus tantùm color
Terræ cadaver ſqualido involuit ſitu.
Non tunc per herbas ullus exſangues ſuas
Ducit capellas Tityrus, quas languidas
Domi coërcet ferreus brumæ rigor:
Non à venuſtis dividit ſpinam roſis:
Et curioſâ ſeligit flores manu,
Ut delicatum crinibus nectat ſuis
Puella ſertum. Cuncta quæ felix ſemel
Iactare campus potuit, orbatus gemit,
Seſeq; decore luget exutum ſuo.
O quam ſtupendas cuncta patiuntur vices,
Et quàm caducis cæca Sors volvit rotis,

Quod-

Quodcumque pedibus Parca ſubſtratum ſuis
Mortalitatis lege damnatum tenet!
Non tot ſilentes vidit in cœlo faces
Chaldæus unquam, non tot alternis fugax
Vicibus ſonorum flectit Euripus caput,
Quot imminentes perpetim caſus timet
Secura nunquam purpura. O cur non mea
Anguſtiores limites inter ſtetit
Contenta paucis vita? Cur rerum Pater
Meo coronam capite lapſuram tuli,
Sceptroq; ſtultam regio admovi manum;
O ſi vel humiles inter ancillas ſedens
Mandata vigili penſa traxiſſem manu!
O ſi virentis quando vernabant adhuc
Ætatis anni, cruda rupiſſet meæ
Mors fila vitæ, & nulla tam fleret ſuos
Maria Manes, nulla damnaret ſui
Fidem mariti clauſa tam turpi ſpecu.
Cur non licebat emori? potens Deus
Cur non licebat? quando per vaſtum fretum
Futura tanto Cæſari veni comes
Conſorſq; regni, quando naucleri fides,
Et involutus nubilo multo polus
Umbrâq; placidum plurimâ vultum tegens
Me deſtinatæ pontus eripuit neci;
Cum nauta pavidus plurimas circum notans
Errare naves quas in exitium meum
Armarat hoſtis, Nereo toto fugax
Per inhoſpitales invij ponti vias
Ægrè petito ſtatuit in portu ratem.
Cur non licebat? Cæſaris quando parens
Proſcripta miſeros traxit Irene dies
Adjuncta plebi, cùm Pelaſgorum potens
Semel imperatrix, lubricam ſenſit rotam
Deæ jocantis, & ſuo fato meos
Docere potuit ſtare non tutò pedes.
O quando falſò toxici dati ream
Statuit maritus, quando tam dirum ſcelus,
Abomi-

Abominari quo nec horrendum magis
Natura mater, ferre nec tellus queat,
Mihi imputatum, carceri inſontem dedit
Sceptrumq; tandem manibus excuſſit meis,
Sed quid vetuſtos rurſus in queſtus abis
Imbellis anime? quidquid adverſum tuis
Imponit humeris arbiter mundi Deus,
Certè ferendum eſt. Ille qui carnem induit
Hominum Redemptor, magnus è Deo Deus
Quem non peracti ſceleris & culpæ rerum
Ingrata Solyme funebri affixit trabi,
Suo ſat unus docuit exemplo pati.
Patere Maria quidquid hanc brevem tibi
Auferre vitam poterit, æternam dabit.
Quid anime dubitas? Debito ſceptro cares?
Etiam carebat ille qui pro te Poli
Reliquit aulam. Quæris amiſſas opes?
Non perdidiſti. Quidquid incertus poteſt
Auferre caſus, eſſe ne puta tuum.
Quodcumque prudens ſubdidit Sorti Deus,
Et quod ſupremus omnibus rapit dies,
Nullius eſſe credo. Nugetur vaga
Fortuna, & omnia rapiat; nunquam mihi
Me rapere poterit aut Deo datam fidem.
Sceptrum, coronam, regiæ luxum domus,
Et ſi quid aliud ſortis eripuit furor,
Lubens reliqui. Carceris diri ſpecum,
Luctumque cujus ſolus es teſtis Deus,
Et ſi quid aliud criminis memor mei,
Mihi ferendum mitis imponis Pater,
Amplector alacris. Quidquid à manu tuâ
Venit benigne Genitor, optatum venit.
Quin ipſa quæ jam mente præſagâ nimis
Inſtare video fata; quæ cunctæ mihi
Noctes minantur, ſi jubes, lubens feram.
Nam quidquid imo pectoris mei ſinu
Latet cruoris, quidquid hoc corpuſculum
Animat calente ſpiritu, ſacrum tibi eſt.

At tu Redemptor, cujus auxilio perit
Mens deſtituta, ſemper hanc mihi ſine
Manere mentem; ſive me mori jubes,
Moriar libenter; ſive me vitam velis
Adhuc frequentes inter ærumnas pati.
Nec hanc recuſo. Tu mihi robur tamen
Æquumque præbe pectus, ut quidquid dein
Reſtat ferendum, corde non molli feram.

CHORUS,
Græcorum & Græcarum fugientium.

Quæ nos altera feſſos
Poſcit terra colonos;
Seu qua fervidus ardet
Totâ lampade Phœbus,
Languenteſque per agros
Nullos ſpargit odores,
Nullo gramine ſiccæ
Pingit viſcera terræ:
Nullo flamine lenti
Vires temperat æſtus.
Seu qua frigoris acri
Nereûs compede vinctus
Nullis fluctibus altæ
Tangit cornua Lunæ:
Quod terræ latus ægris
Semper triſte pruinis
Durus Iupiter urget;
Quod nec garrula læti
Ales nuncia veris
Leni carmine mulcet;
Quod nec mitior unquam
Mollis aura Favonî
Vernâ dote coronat.
Quæ nos cumque fugatos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Paſcet hoſpita tellus
Quamvis frigore torpens,
Quamvis ignibus ardens:
Noſtro mitior orbe
Nullo carcere claudet,
Nullâ morte necabit.
Pars Heſperio Sole calentes
Ibimus agros, ubi Piſanos
Plurimus hortos irrigat amnis,
Et perpetuâ fruge coronat:
Aut ubi medijs tutus in undis
Græcum Venetus deſpicit hoſtem,
Pars invicti ditia Franci,
Pars Hiſpani regna petemus;
Vel ubi vaſto proxima pelago
Urbs errantis ſurgit Vliſſis:
Vel ubi lato gurgite fertur
Per Pariſios Sequana campos.
Pars Flandriacas ibimus urbes
Ubi Belgiaci Principis aula
Propter vitrei flumina Zennæ.
Tam multiplici fonte ſuperbit,
Aut ubi ternâ ditior undâ
Inclita Dominæ mœnia Gandæ
Supplice fluctu Scaldis adorat.
Græcia nunquam repetenda vale.
Non per patrios amplius agros
Nos fructiferum gravis Autumnus
Ducet ad hortum nobilis undas
Propter Anauri, qui non ullis
Inflanda trahens cornua nimbis,
Tumido nunquam vortice ſurgit.
Ubi montano gramine paſtas
Nobiliori vellere mollis
Veſtit Zephyri ſpiritus agnas.
Non ubi nullus triſtia pallet
Tactus gelido membra veneno
Teget arcano Candia luco

Propter calidi ſtagna Caryſti,
Aut properantis flumen Oaxis.
Non quando decens Flora tepenti
Animat vernam flamine terram
Per gemmiferi gramina campi
Molle legemus pollice ſertum.
Non dum nimio fervidus æſtu
Per fulminei terga Leonis
Aget ardentem Delius axem,
Aut in placidi margine rivi,
Aut in viridi molliter umbrâ
Referet patrios carmine Divos
Et non nocuos tibia luſus.
Omnia diro Theodora vetat
Impia juſſu, quæ vel furijs
Acta malignis, vel phlegetontis
Incita tædis, diræ matris
Peſſima proles, tali nimium
Digna marito, non niſi tragicos
Somniat actus, non niſi centum
Funera volvit.
Præſtat patriâ ſede fugatos
Procul externis vivere terris,
Quam tot ſcelerum cernere monſtra,
Et tot vetiti crimina lecti.
Græcia nunquam repetenda vale.
At tu crebro veſana preme
Theodora tuos crimine Manes,
Perge profuſo ſanguine juſti
Properare ſacram judicis urnam.
Veniet ſubitis certa quadrigis
Vindicta Dei, quæ tibi cunctis
Imminet horis; quæ te Stygium
Non redimendam coget ad orcum.
Græcia nunquam repetenda vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ACTUS SECUNDUS.

Voluptas.

SOror Megæræ, proximum Diti caput,
Fœcunda ſcelerum mater, & mundi lues,
Stygis Voluptas infimos liqui lares;
Ut ſim theatri mæſta ſpectatrix mei:
Et quam Pelaſgus Inferûm Regno dedit
Cruore tandem Regio obſignet fidem.
Nec eſt timendum; dedecus Regni vetus,
Et abominando Regis inceſti ſtupro
Violata ſanctæ jura Naturæ ſcio.
Novi nefandò pellicem dignam thoro,
Natumque ad omne crimen & luem genus.
Qui fulminantes Numinis juſti minas,
Æquumque ſcelerum vindicem ſpernens Deum
Aliena timidâ ſceptra moderatur manu,
Nunquam ſatis ſecurus inſtantis pavet
Ultoris iras; & ſui ſceleris memor
Nullum furente mente non audet ſcelus:
Et ſi quod ægro corde concepit nefas
Mundo tremendum licet & inviſum Polo,
Pellaxque regni luxus in præceps trahit
Animum volentem, quidquid indomitus furor,
Aut juſtioris dictat hæredis timor
Reſolutus audet, unicum hoc putat ſcelus,
Non eſſe multi ſceleris & culpæ reum.
Theodora perge, quidquid egiſti hactenus
Quod te nocentem ſtatuit & terræ & Polo,
Pietas vocetur. Crimen audendum eſt novum,
Quod te tyranni Principis nuptam arguat,
Quod te nefandi conjugis neptem probet.
Aggredere nulli ſæculo auditum ſcelus,
Aggredere nulli Principi audendum nefas.
Quid adhuc moraris? dedecus Famæ times?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Sero expaveſcis; Fama non reſtat tibi,
Nomenque multo ſcelere damnaſti tuum,
Negas decere Principis tantæ caput
Violare ferro? Quidquid indignum & grave
Et turpe vitant cæteri, ſcortum decet.
Cauſamne morti quæris? ingratam meo
Tuoque ſi qua luxui vitam trahit.
Solo piandum ſanguine admittit ſcelus.
Quiſquis Tyranno diſplicet, culpæ licet
Sceleriſque purus, mortus eſt reus tamen.
Quis ille frontem decolor pinxit rubor?
Quis ille rarus rutilat in vultu color?
Num fortè totâ mente perpendit nefas,
Tantique ſceleris juſtus invaſit pudor,
Genaſque pinxit purpurâ? Hoc forſan foret
Ni talis eſſet. Vita pudibundam negat,
Diroque quamvis crimine moveri vetat.
Meretricis omnis exulat vultu pudor.
Quid ergo frons accenſa? Quid docent genæ?
Quid vultus ille flammeus? Novi notas
Veteris furoris, quidquid exundans dolor
Meditatur intus, conſciæ produnt genæ,
Vultuſque curæ fidus interpres ſuæ.
Talis ſubinde Solis occidui caput
Inſtans procella nube purpureâ tegit;
Quin & propinqua murmurant dirum juga.
Gravique paſſim cuncta mugitu tremunt,
Æquorque placidum nullius juſſu ſalit,
Quodcumque mundus gemuit admiſſum nefas,
Denunciavit antè præſagus dolor.
Theodora perge. Sanguinem tandem bibe,
Quem diù ſitiſti. Tradere inſontem neci,
Audere quidquid dictat effrenis furor,
Miſcere ſuperis infera, hoc tali decet
Iunctam Tyranno. Levia non unquam ſemel
Abominandus ſcelera produxit torus.
Aggredere facinus; ipſa cui totam ſacras
Devota vitam grande defendam nefas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et qua Canopum nobili rigat vado,
Pontumque Nilus ore non uno bibit,
Laudabo crimen. Illa Carpathij timor
Gonoeſſa ponti, quæque vicinum freto
Nobilior olim Beſſa Titareſſon colit
Et ſi quis uſquam fraude deceptus novâ
Sub antichriſti militem ſignis agit
Factum probabit efferum. Nunquam ſcelus
Damnare novit ille qui nullum Deum
Vel eſſe, vel punire ſceleratos putat.

Melicerta, Senex.

Melic. O Fulgurantis ſancte Dominator Poli
Qui tot ſtupenda prodigâ ſemper creas
Servaſq; dextrâ, cujus ad nutum parens
Natura faſces prona ſubmittit ſuos;
Qui dum recurrunt noctis umbroſæ vices.
Nulluſq; noſtrum Phœbus illuſtrat Polum,
Pro ſole Lunam reddis, & nunquam pari
Formâ vagantes inſtruis Divæ faces.
O qui per altas ætheris vaſti palagas
Natare mandas ſidera, & parvos ſeris
Per vaſta Cœli ſpatia ſtellarum choros,
Aulamque multa luce defendis tuam,
Qui dum perenni ſingulos gyro jubes
Cœlos moveri, cardinem magni vetas
Nutare mundi. Dædale ô rerum artifex
Quam multa, quam ſtupenda ſecreto ſinu
Penetranda nunquam ſpiritu humano tegis!
Quicumque mentem ſcelere non uno ſuam
Deformat audax, & ſuæ vitæ immemor
Criminibus addit crimina, & luem lue
Sceleſtus urget alterâ, huic ſtatim comes
Fortuna, faciles lenis indulget dies,
Ipſoq; pæne copiæ cornu beans
Fauſtos coronat dote non unâ Lares.
Et delicato floridum fovens ſinu
Perenne dulce marcido nectar pluit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et delibutum gaudio ambroſia cibat,
Sed qui ſtatutæ legis, & recti tenax
Æterna totâ mente ſuſpirat bona,
Mundiq; luxum ſpernit, hunc curæ premunt,
Et mille per divortia inſontem trahunt.
O quam ſtupendo Numine hunc orbem regis
Prudens Monarcha! Quiſquis innumera tuæ
Miracla dextræ ſperat humano miſer
Penetrare ſenſu, numeret is cunctas faces
Queîs per ſilentem Luna dum vehitur polum
Nox atra bigas undiq; exornat ſuas:
Et numeret unà quotquot aut flores ager,
Aut Bacchus uvas gignit, aut ſpicas Ceres,
Totumq; puteo claudat anguſto mare,
Et tunc laborem vanus accuſet ſuum.
O qui benignâ cuncta diſpenſas manu
Æterne Genitor! Uſquequo tantis gemet
Mens preſſa curis? Uſquequo vitæ ſatur
Deſideratum mortis optabit diem,
Quo tot miſerias feſſus abrumpet dolor?
Orientis ex quo Domina perjuram dolent
Falſi mariti dexteram triſti jacet
Incluſa caſtro, mille perturbant meam
Curæ quietem, mille me vexant metus,
Si nox fugacem merſit oceano diem,
Horretq; veſte tectus umbroſâ polus,
Dum cuncta curas diſſipant, adhuc mei
Vigilant dolores, & reluctantem licet
Per mille ſcopulos naufragam mentem trahunt,
Hinc læva ſenſus ſomnia exterrent meos,
Ægerq; claudas animus Empuſas videt,
Et quotquot umbræ Spectra nocturnæ vehunt,
Simulachra diræ mortis, hinc pavidus timor
Multo miſellum pectus adſtringit gelu.
At ſi rubentes manè conjungens equos
Orbi ſerenum Phœbus advexit diem,
Tunc alia rurſum cura, tunc novus timor
Animum fatigat. Inde funeſto micat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Ferro ſatelles, hinc inhumano minax
Auguſtus inſtat ore, nec centum pudet
Onerare probris conjugis ſuæ caput.
O quam reciproco totus Euripo fluit
Reſtuitque mundus! Illa tam magno ſemel
Felix marito, nobili ſtirpe edita,
Regina Mundi, clauſa jam turpi ſpecu
Sortis tremendas patitur & luget vices;
Suoque cunctos damnat exemplo Duces
Qui tam caducæ Sortis innixi rotæ
Globo fugaci lubricos credunt pedes,
Et ſe beatos eſſe veſani putant.
Ah quam timendum eſt ſortis ambiguæ levi
Paſci favore! Quiſquis inſidæ nimis
Confiſus auræ fragile ſuſpirat bonum,
Et alta ſtultus regna mendaci cupit
Fulgore captus, neſcit ah neſcit miſer
Quam multa ſæpe mœſta tam læto tegit
Fortuna vultu. Purpuram multi ambiunt.
Paucique noſcunt. Tincta non fruſtra rubet
Cruore, cunctos palla quæ veſtit Duces,
Quam melius illis vita ſecuro fluit
Deducta filo, quos ab inſanâ procul
Aulâ remotos, otio molli fovet
Inter paternos Pallas aut Hymen Lares!
Queis nec quietem cura nocturnam rapit,
Nec quæ coruſcum Solis abſcondit caput
Eclypſis ullam dira præſagit necem,
Quêis fronte nunquam lividâ & triſti coma
Ardet Cometes, Omen adverſum tremat
Quicumque Sorti notus excelſo ſedet
Solio ſuperbus. Neſcit inconſtans Dea
Nocere: quêis non profuit. Fruſtra bonam
Quicumque Sortem ſprevit, adverſam timet.
Sen. Quid pertinace tranſigis luctu diem,
Lentiſq; Princeps lachrimis urges genas?
Quid te fatigat? Quis novus pungit dolor?
Quid expaveſcis? *Melic.* Quidquid afflicti ſolent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Sen. Sed quid timendum eſt? *Melic.* Cuncta quæ
Princeps pati
Poteſt Maria. Cuncta quæ diri furor
Stat uet mariti. *Sen*, Conjugî contra fidem?
Melic. Iſto probatam carcere. *Sen.* At forſan mod
Imminuit iras, cuncta qui minuit dies,
Melic. Vel potius auxit. Illa quæ lentas diu
Scintilla vires colligit, tandem micat,
Subitoq; totam funere involvit domum.
Sen. Superos timebit. *Melic*, Ille qui violans torū,
Aut eſſe nullum credit, aut ſpernit Deum?
Sen. Pudor vetabit. *Melic.* Turpe nil turpē pudet.
Sen. Princepſne perdet Principem? *Melic.* Uxorem
quoque.
Sen. Natura prohibet. *Melic.* Ille Naturæ ſacra
Statuta ſervet, cujus in tæda duplex
Natura mater doluit admiſſum nefas?
Sen. Contentus iſta carceris pœna integram
Vitam remittet. *Melic.* Ille cui talis modo
Iuncta eſt Erinnys? Cuiq; tam dirus fuit
Pater tyrannus? Neſcit affectu trahi
Meliore pectus, ſi quod exemplo ferox
Peccat paterno. *Sen.* Multa quæ crebro furor
Proponit hominum, melior avertit Deus.
Melic. Utinam! ſed heu me, timeo. *Sen.* Quid tamen
times?
Melic. Neſcio; ſed heu me! timeo. & ingentis mali
Præſagus animus pectus incendit meum.
Quodcumq; tantus crimen accuſat metus
Vulgare non id eſſe, nec medium puto.

Chorus

AVdax nimium qui ſe vetiti
Primum pomi polluit eſu,
Et tam ſtolido devius auſu
Iuſtas Superos traxit ad iras.
Tunc quæ varios ſponte colores

Et

Et multiplices undiq; fructus
Inculta prius terra gerebat:
Damnata dëin, non niſi ſteriles
Triſti gemio protulit herbas:
Nec niſi multo juſſa labore
Semina longis credita ſulcis
Reddere cœpit, Tunc impietas
Libera magnum ſprevit Olympum,
Ac multorum portenta Deûm
Cœpit fatuis fingere votis,
Et vel trunco vel mage ſaxo
Non permiſſo thure litavit.
O quam multis exulat aris
Verus ſuperi Rector Olympi!
Quot præcipites devius error
Recta Stygium ducit ad orcum!
Neſcit veri juſſa Tonantis
Quiſquis pluvio proximus Auſtro
Nondum notas incolit oras.
Vbi quæ mundi ſuſtinet orbes
Nunquam noſtri conſcia Cœli
Sidera verſat ſtella polaris.
Iacet Heſperijs cognita nautis.
Vbi ſublimi vertice magnus
Aliud cœlum ſuſtinet Atlas,
Heu¡ ubi quondam plurimus inſons
Fluet Hiſpani crimine ſanguis:
Procul à noſtro diviſa polo
Tiſnada varijs fœta metallis?
Et Breſiliæ fertile regnum,
Et Caribanæ nobile littus,
Et Paguanæ barbara tellus.
Vbi crudeles jugiter aræ
Captivorum ſanguine fumant;
Vbi ſub querulis pavitant tepidi
Dentibus artus, quando recenti
Horrida tabo membra vorantur,
Aurea præter ſidera Cœli,

Præter pluvios Iridis arcus,
Et quæ toto credit Olympo
Spargi varijs bruta figuris
Barbara Cuſco, vel Viracocam
Cui ſidereos ſubjicit orbes,
Vel Pacacumam qui fructifero
Ornat gravidam germine terram.
Vel Macacocam qui cærulea
Torquet valido regna tridente,
Stulto nimium corde veretur.
Colit inſignem Manta ſmaragdum.
Colit innumeros impia Divos
Mexica tellus: ubi captivum
Dum ſemel ægros exuit ignes,
Totoq; ſemel fulgurat orbe
Aurea Phœbe; Numinis inſtar
Thure verentur: qui poſt primi
Gaudia menſis, ſanguinolentas
Cæſus ad aras diro tragicam
Tandem claudit funere vitam.
Brama innumeros ſibi perpetuo
Succedentes ordine mundos,
Plureſq; Deos inſcia fingit;
Homineſq; putat morte ſolutos
Alia rurſus vivere ſorte:
Et vel pinnis findere fluctus,
Vel crudeles eſſe Leones.
Rapidaſq; Tigres, vel per ſumma
Ferri levibus nubila plumis,
Feſſoſq; dein Divûm comites
Inſerit aſtris.
Elementa colit diverſa Sian;
Quæ poſt fluidæ tempora vitæ
Repetunt proprios cuncta clientes;
Quiſquis terram coluit, cultæ
Conditur inter viſcera, terræ.
Quiſquis aquarum tactus amore
Cætera ſprevit, mergitur undis

Lautâ

Lauta æquoreis piſcibus eſca,
Paſcit tremulas corpore flammas
Quiſquis flammam vivus adorat.
Gibat aëreas fixus in alta
Arbore volucres, cui viventi
Numen fuerat mobilis aër.
O quam multas ignara Dei
Mens ſibi fingit perdita nugas!
Stolidns regni myſta Siani
Octoginta dat perituro
Sæcula mundo: tunc qui tantum
Iam calet uno feruidus oculo,
Septem pandet lumina Phœbus,
Queis æquoreas ebibet undas,
Queis immenſum vindice flamma
Deſtruet orbem; ſed duo tepidis
Quæ reſtabunt tecta favillis
Binos homines ova creabunt,
Qui fœcundo ſemine cultum
Iterum poterunt reddere mundum:
Quem non ſalſis Neptunus aquis
Alluet unquam, tantum rigui
Vndique fontes, dulceſq; lacus,
Irrorabunt molliter herbas,
Et perpetuo vere beatos
Spargent varijs floribus agros,
Qui Calicuti dogma tuentur
Et Bragmanicæ ſomnia ſectæ.
Vnum credunt eſſe Tonantem,
Qui ſtelliferas incolit arces,
Terræq; nihil crimina curat
Nimis à noſtro diſſitus orbe;
Solumq; putant Dæmona totum
Flectere Mundum; cujus facies
Quamvis tetro ſchemate picta
Triplici radiet livida cornu,
Quamvis olidæ limina buccæ
Quatuor altis dentibus armet;

Et roſtrati pondera naſi
Vndiq; multo tubere cingat,
Semper gratos halat odores
Non niſi roſeo lota liquore;
Cûi jugulatus ſanguine gallus
Semper calidas imbuit aras.
Quiſquis gelidum potat Araxim,
Quiſquis Chinæ nobile regnum,
Quiſquis geminæ littora Iavæ,
Aut famoſas fruge Moluccas,
Aut Iaponios incolit agros;
Habet haud uno ſchemate ficta
Ridendorum monſtra Deorum.
Qui perpetuis vivit in agris,
Raraſq; colit Tartarus urbes,
Vix quid credat dicere poſſet.
Qui Boreali proximus aſtro
Candida mittit vellera Moſchus,
Et tam latis imperat agris
Quos Euxino gurgite Nereûs,
Et Parrhaſio ſidere claudit,
Quæ ſibi finxit ſomnia credit.
Et ſinceræ dogmata fidei
Veritis miſcet ritibus audax.
Sequitur falſum Turca prophetam
Nec meliorem Perſia vatem;
Impia quidquid dictat Erinnys
Tota ſequitur mente Pelaſgus,
Et tam ſtupidæ dogmata ſectæ
Duro nimium corde tuetur.
Scilicet omnes abſtulit error
Quos vel ſcelerum dira libido
Nimis horrendo faſcinat œſtro,
Vel quos falſo ſchemate ludit
Brevis infidi gloria mundi.

ACTUS

ACTUS III.

Executor ſententiæ

TAndem diurnam Phœbus emenſus viam
Alias propinquô purpurat terras die.
Et quæ Pelaſgæ ſumma Reginæ fluet
Horrore bigas inſtruit multo ſuas
Nox, & jugali tranat umbroſo polum.
O quam libet ſævire! quam dulcis meum
Sacri cruoris pectus incendit ſitis!
Sic qui catenâ vinctus immanem Leo
Generoſus iram concipit, & omnes ferox
Irritat animos, & ſui tandem memor
Quatit fluentes aureo collo jubas
Dirumq; frendens dentibus, toruo micans
Vagatur oculo, tergus alcæâ ferit,
Et mille furor immenſus erumpit vijs:
Indigna collo donec excutiens juga
Primam cruentæ deſtinat prædam fami;
Et vel repertam lacerat in partes ovem,
Vel devoratâ matre balantem rapit
Immitis agnam; creſcit immanis furor,
Totumq; ſpargit penitus & perdit gregem.
Sed ſi propinquis cernat in pratis bovem
Tondere læta gramina, & virides agri
Vernantis herbas paſcere, indignans, oves
Vilemq; prædam ſpernit, & frenum ſuo
Laxans furori nobili tactus fame.
Leone dignum pectus & rabiem induit;
Ac inquieto totus affectu furens
Vicina celeri prata percurrit pede,
Diroque miſerum dente diſcerpens bovem
Pingit cruentas tabe deformi jubas;
Et ungue cæcas viſcerum indagans vias,
Pavidumque cunctis ſpiritum extrudens locis,
Avidâ fluentem ſangunem linguâ bibit.

Quin

Quin ipſa frangens oſſa, & inſano molens
Ardore coſtas, flebilemque pulverem
Spargens per auras, eſſe nil reliquum ſinit,
Quod dum peremptum quæret in vanum bovem
Triſti colono facinus admiſſum probet.
Induere furias anime. Quid lentus ſtupes?
Quis tibi furorem prohibet injuſſus timor?
Dubitas nocere Principi, cujus potens
Fortuna juſſu, ſemper æquali tibi
Favore riſit, & aulico primum cibo
Paſcens honores ſtravit ad ſummos viam?
Præteritus animum moveat inſanum favor
Quicumque Sorti ſervit, is Sortis quoque
Nunquam quietis debet Euripis agi;
Et ſi qua ſpes majoris invitet boni
Variare dubiam temporis juſſu fidem.
Neſcit beatus eſſe qui ſuam nequit
Mutare mentem. Solis occidui jubar
Qui vult adoret, ipſe naſcentem colo.
Aggredere facinus anime. Supremum audiat
Maria juſſum; ſanguinem inviſum exſpuat,
Et quod tot ante gentibus ſacrum fuit
Lictoris enſi vile ſubmittat caput.

Maria, Melicerta, Executor.

Mar. QUid immerentes lachrimâ multâ genas
Melicerta ſpargis? unde tam turpis tua
Invaſit ora pallor & triſti nimis
Macie ſerenum frontis offuſcans jubar
Colore totum livido vultum tegis?
Sic quæ propinquis ſentit inflari polum
Diana pluvijs, priſtinum perdit decus,
Pallore multo languidam premens facem.
Quid ille creber gemitus, & fletu graves
Minantur oculi? Parce tot lachrimis meum
Movere pectus, ſeu meam doles vicem,
Non eſt dolenda, quæ mihi certam Poli

Spondet coronam. Seu tuam ſortem times,
Non eſt timenda. Quidquid inconſtans Dea
Statuere potuit, in meum ſtatuit caput,
Vireſque tandem feſſa ſubmittens ſuas
Te mandat eſſe liberam. Nihil dein
Tibi verendum reſtat. *Melic.* At multum tibi.
Mar. Inſana quid te ludicro torques metu?
Melic. Vtinam ſit ille ludicrus! ſed, ô Deus!
Mar. Quid ergo trepidas? *Mol* Quidquid attonitus
Præſagit animus; quidquid heſternas ſopor (tibi
Docuit per umbras. *Mar.* Somnio præſtas fidem,
Quod hiſtrionum more mortales agit
Fallitque ſenſus? Quidquid elapſum diem
Terrere potuit, quidquid infelix timor
Suggeſſit animo, noctis ut redeunt vices
Exactor acer urget, & curas ſopor
Repetens diurnas ſpiritum placida vetat
Frui quiete. Quando jam ſomnos homo
Hiante ſpirat ore, & inflexum quies
Collum caputque plumbeo vinclo ligat:
Tunc inquietus repetit exactum diem,
Et mille per divortia & vanos metus
Vagatur animus; ille vel lites movet,
Et debitores impiger citat ſuos;
Vel dum citatur ipſe fatalem timet
Malè tutus urnam, dumque manifeſto videt
Se detineri ſcelere, per centum neces
Diſcurrit amens. Hic ſibi regnum vovet,
Altumque torquens ruſticâ ſceptrum manu
Seſe beatum ducit, & brevi nimis
Titulo ſuperbit, Iſte ſi bilis nigra
Preſſi latentes obſtruat cerebri vias;
Vel incubantem pectori larvam timens
Clamare fruſtra tentat, & vinctas manus
Miratur amens, & ſimul vinctum caput,
Vinctoſque quos jam torpor invaſit pedes.
Vel dira tantum ſpectra deformi putat
Hiare rictu, lividam videt Styga,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et triſtis erebi luridum ſpectat chaos.
Quicumque certam ſomnio præſtat fidem
Falli meretur. *Melic.* Cupio, ſed timeo nimis
Nec inanis unquam ſomnij falſi dolus
Tam pertinace pectus affligit metu.
Mar. Quod iſtud ergo ſomnium? *Melic.* Ah miſerum & grave!
Iam pulchra totum pæne tranarat polum,
Premenſque dubium Sole vicino jubar
Minore cœlum Luna luſtrabat face,
Et quæ supremâ ſignat Arctoum rotâ
Algere ſidus Urſa ſeptenis micans
Ornata flammis, noctis umbroſæ Patres
Et fulgurantem ſiderum Rempublicam
Ad occidentem flexa vicinum diem
Fugere monebat, jamque purpureis natans
Aurora bigis clauſtra reſerabat poli
Et ore roſeum tota ſpirabat diem,
Tunc feſſa primum lumina oppreſſit ſopor
Ægrumque ſomno pectus inviſo dedi.
At ecce ſubito triſte ſpectaclum meis
Occurrit oculis. Flebat adverſam pia
Columba ſortem, ferreis caveæ diu
Incluſa clathris, ſeque, nec poterat magis
Spoliata plumis, carceris lenti rea,
Non profuturo mœſta lugebat ſono.
Quo nec ferocis aucupis ſurdas ſemel
Penetravit aures: nec magis leni rigens
Adamante multo pectus affectu induit,
Et en cruenta felis indignâ nimis
Lymphata rabie, nobili prædâ ſuo
Litans furori, triſte crudeli caput
Avulſit ungue, ſanguinem innocuum bibens.
At mihi quietem ſubitus excuſſit pavor
Gelidusque multis ſudor erumpens vijs
Vicina capiti fata ſignavit tuo.
Ah timeo Princeps! Sentio totum mihi
Trepidare pectus, ſentio attonitas adhuc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Saltare fibras. Scilicet malum imminet
Quod diû ſagace mente præſenſi tamen,
Ex quo jugalem Cæſar abrumpens fidem
Turpem nefando pellicem junxit toro,
Et te ſceleſtus criminis ficti ream
Cuſtodiendam militi multo dedit,
Nulluſque tam crudele damnavit nefas.
Tunc ominabar quicquid adverſum modo
Inſtare timeo. *Mar.* Quas mihi nugas refers?
Et quos inanes mentis inſanæ metus?
Infauſta noſtræ jura fortunæ gemis?
Cave invidere. Plus mihi quidquid times,
Plus ille lenti carceris ſqualor ſapit,
Quam quidquid optas. *Mel.* Miſera! quid pergis tuos
Optare Manes; quæque feſtinant ſatis
Urgere Parcas? illa quæ noſtræ potens
Momenta vitæ tetricâ regit colo
Natura mater, quando jam mors imminet
Vitamque tempus falce fatali metit,
Rumpenda fila felle non pauco linit,
Triſtemque cunctis eſſe ſupremam jubet
Ætatis horam. Quiſquis exoptat mori,
Neſcit quid optat. Vita ſat levibus fluit
Deducta fuſis. Vnde non unquam licet
Cuiquam reverti, ſero non ullus venit.
Quiſquis ſtatutam ſperat aut timet necem
Animo puſillo grande committit ſcelus,
Mar. Vtinam latentem pectoris ſpectes mei
Melicerta flammam, parcius forſan mihi
Loquereris iſta. Nolo dementi meam
Vrgere voto, fugere nec volo necem,
Si me feroci carcere, & novis adhuc
Theodora miſeram mandet ærumnis premi,
Premet volentem. Sive me plectat nece,
Plectet petentem, Quidquid horrendum ſolet
Terrere reliquos, major ex alto meus
Contemnit animus ſat diû doctus pati.
Mel. Maria! *Mar.* Quid me flebili queſtu premis?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Melic. Morière *Mar.* Quid tum ? *Melic.* Nobili ſtirpe edita.
Mar. Nobilior alto venit è cœlo Deus,
Qui grande Numen veſte mortali tegens
Turpem latrones inter aſcendit crucem,
Melic. Auguſta. *Mar.* Quondam. *Melic.* Cæſarum conjunx. *Mar.* Fui.
Fortuna funus alia prævertit meum
Primoque viduum decore ſpoliavit caput.
Sed iſta valeant ; quidquid eripere poteſt
Sors, abdicavi. Debitum nobis ferat
Theodora ſceptrum , quodque prudentes mihi
Superi negarunt , nullius ſortis rea
Diadema regni fronte felici gerat :
Non invidebo. Qui mihi fluxam rapi
Voluit coronam, reddet æternam Deus :
Quam nec furentes Sortis inſanæ vices,
Nec quæ ſupremo cuncta conſumit rogo,
Auferre poterit mortis infeſtæ manus.
Melic. Quis huc citato torvus accurrens pede
Vultu cruentas ſpirat accenſo minas?
Ah ah Maria ! tempus extremum imminet.
Innocua Princeps : Omen heſternum meus
Iterum revolvit animus, & cunctas tremens
Ubique fibras grande præſagit malum,
Innocua Princeps ! Tune meretricis fero
Morière juſſu ? Tune ? Nec juſtus Deus
Librabit ulla fulmina ? Nec ullus tibi
Aderit Redemptor ? Tune ? *Mar.* Quid rurſum ſeris
Veſana nugas? quidquid ulterius mihi
Polus ferendum deſtinat, lubens feram.
Nihil timendum video. Si vitam Deus
Extendat ultra, vivo. Si mortem jubet,
Occurro morti. Fare, quid portas novi
Optate Princeps ? *Exec.* Capitis exitium tui
Quod Imperator Græciæ cæſum jubet.
Mar. Me, quæ parentem Carolum magnum voco,
Tantoque tuta Patre ſolius Dei

Novi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Novi tribunal, quiſpiam damnet nece ?
Quo jure damnet ? *Exec.* jure quo debes mori.
Mar. Et quo Tyranni regere violenti ſolent.
Sed fare, quæ me culpa conſtituit ream ?
Exec. Vah innocentem fœminam ! Culpam rogas
Quæ tot malignis Cæſaris noſtri caput
Dolis petiſti ? *Mar.* Quâ probas iſtud fide ?
Exec. Quâ cras peribis. *Mar.* Itane ? *Exec.* Quid tempus teris ?
Decreta mors eſt. *Mar.* Nuncium hoc manſi diu.
Nec ulla me timere convincet dies
Quam fugere nullum poſſe mortalem ſcio,
Quæ tot miſerijs terminum ponet, necem,
Morior libenter; feſſus has dudum moras
Damnavit animus : Tempus exiguum rogo,
Ut de minutis quæ mihi nondum ferox
Fortuna rapuit, pauca diſponam bonis.
Exec. Nec hoc habebis. *Mar.* Craſtinum ſaltē diē
Moritura poſtulo. *Exec.* Craſtinum fruſtra petis.
Non impetrabis. *Mar.* Craſtinum fruſtrâ petis,
Non impetrabis ? Tantulum negat tibi ?
Et obſeratum pectus ad tuos gerit
Maria queſtus, ille cui primum tuus
Ad altiora tramitem ſtravit favor ?
Ingrate Princeps ! tantulum negas mihi ?
Patiar Redemptor; plura tu pro me ſemel
Es paſſus olim, Chriſte me pati doces.

Chorus.

O Quàm lubrica vanos
Sors diſpenſat honores
Et quàm verſicolore
Stringens compede mundum
Vili funere magnos
Vertit ſæpè triumphos,
Imis maxima fatis,
Summis infima mutans,

Non

Non tam perfida fallax
Flectit cornua Nereûs,
Dum per turbida cuncti
Certant æquora venti;
Non tam palluit audax
Centum nauta Charybdes,
Qui vicina Pelaſgis
Multis horrida ſaxis,
Crebris fœda procellis,
Et tot naufraga Scyllis
Sulcans æquora, motas
Inter fluctuat undas;
Quàm fortuna furenti
Semper mobilis æſtu
Falſo ludit in orbe.
Heu quot monſtra timorum,
Et quot paſcit Erinnes
Mens infauſta, Potentum!
Longis ebria curis,
Centum dedita vinclis.
Queis formoſa, ſed eheu!
Multo tincta cruore
Dirum nunciat omen
Fulgens murice veſtis.
Queis tot ſæpe minaci
Ardent crine Cometæ.
Queis nocturna nitentes
Perdit Cynthia flammas,
Formoſuſque coruſcam
Celat lampada Phœbus.
Heu quot ſomniat ægro
Semper corde latrones,
Quot diſcrimina dives!
Nuſquam vera voluptas
Nullo nubila caſu,
Nullis ſubdita fatis
Iſto regnat in orbe:
Et Sors invida nullum.

Puro nectare paſcens,
Multo felle ſuaves
Semper temperat uvas,
Multo miſcet aceto.
Deſine vanæ fidere Sorti
Deſine levibus Mundi fluidi
Credere ventis, qui ſecuræ
Aurea captas otia vitæ.
Quid regnandi dira libido
Te tam miſero concitat œſtro?
Quid ſceptra petis, quæ dum ſummam
Heſperus olim duxerit horam,
Rapta dolebis? Nimium, nimium
Citò prætereunt lubrica vani
Gaudia Mundi, Mors, nec Regum
Dura coronis, nec Principibus
Parcere novit. Morimur, morimur,
Et nullius durare diu
Natura ſinit tempora vitæ.
Nihil immites novit in orbe
Flectere Parcas.
Felix nimium qui fœdifragos
Mundi potuit ſpernere luxus,
Et tranquillâ mente ſupremi
Contemplatur gaudia Cœli.
Qui non ullis ſaucia vinclis
Nunquam Veneris læſa ſagittis
Pura Tonanti pectora ſacrat,
Qui perpetuo nectare paſtus
Cœli nitidis errat in hortis,
Cunctaque mentis lumine cernit
Queis poſt vitæ penſa peractæ
Toto felix corde fruetur,
Quæ non volucres rapient anni,
Non ulla ſemel deſtruet ætas.
Neſcit felix eſſe, furentis
Qui vel trepidat fulmina Sortis,
Vel fallacis ſperat amorem.

ACTUS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ACTUS IV.

Maria valedicit.

Ergone Genitor illa tam lentis diu
Petita votis imminet tandem dies
Mei laboris ſumma, quâ pro perditâ
Mundi coronâ, non reliquendam dabis?
Abcede fallax Munde, nil ultra tibi
Moritura debeo, quidquid à reliquis dies
Fatalis aufert, vita præripuit mihi:
Et ante funus purpurâ, ſceptro, bonis
Catere juſſit conjugis diri furor.
O quam caducis cuncta volvuntur rotis
Imperia mundi! Non tot adverſas timet
Nauclerus hiemesqui procel oſum rate
Errans per æquor, inde præruptos videt
Rigere ſcopolos, inde per vaſtum fretum
Plurima ſub undis ſaxa funeſtis tegi:
Quot inquietos ſemper Euripos tremunt,
Lugentq; Reges. Quiſquis excelſo ſedet
Solio ſuperbus, nec ſuæ ſortis memor
Nimiam caduco præſtitit ſceptro fidem,
Me videat, & tam nobili exemplo ſemel
Timeat relabi. Nulla ſat tuto fluit
Sors alta filo. Ludit inconſtans Dea,
Et mille ſæpè vicibus invertens globum
Reges Duceſq; lubricâ verſat manu,
Dupliciq; crebro ſanguine infauſtam nimis
Iubet madere purpuram, & nunquam ſatis
Quieta, juſſis cuncta concedit ſuis.
Neſcit beatus eſſe, Fortunæ levem
Qui vel favorem ſperat, aut iram timet.
Æterne Genitor: Quantulum negas mihi,
Quantumq; reddis! Illa quæ pro te ſemel
Tam pauca patior, præmium tantum dabunt?

O anime,

O anime, quæ tam lenta te tenet mora?
Perrumpe corpus, carneam molem abjice,
Curiſque tandem major, & nulla dein
Tardus catena perpetes cœli pete!
Felix triumphos, Anime! Quis tantus meum
Invadit ardor pectus? O anime! O Deus!
Quam dulce tecum Chriſte, quam bonum eſt mori!
Theodora regnum poſſide, & felix mea
Moderare ſceptra, nolo tam parvo dein
Contenta regno vivere, æternum meus
Suſpirat animus, malo cum Chriſto mori,
Non ſi patentes quotquot illuſtrat plagas
Dum vel rubentem mane depingens polum
Primâ remotos luſtrat Æthiopas face
Roremq; tepidis multus in campis bibit;
Vel dum fugacem denegat mundo diem,
Feſſuſq; pontum Phœbus heſperium ſubit,
Fortuna pedibus læta ſubſternat meis;
Non ſi rigentem quotquot Oceanum colunt
Quos longa ſegni bruma conſtringit gelu,
Vel uterq; Pœnus deferat regnum mihi
Optabo vitam. Malo cum Chriſto mori.
Malo caducum demeti ferro caput,
Breviq; totum morte mercari polum.
O anime! quando carneo vinclo ſemel
Solutus, inter Patriæ cives tuæ
Totâ ſupremum mente guſtabis bonum?
O anime! quando floridos, Cœli ſemel
Spatians per hortos, lilia & violas leges,
Nulliſq; carpens horridam ſpinis roſam,
Multis beatum floribus cinges caput;
Queis nec vigorem nimius exſuget calor,
Nec iniqua quondam pluvia, vel ferox hyems
Marcere coget; nullus infeſta nive
Semper virentem caudicem lædet Notus.
O ubi micantes mille diſtinguunt modis
Gemmæ plateas, turpe quas nunquam lutum
Radiare prohibet, nulla conſpergit lues,

O ubi perenni vere felices agros
Non Phœbus ardens torquet, aut brumæ rigor.
Non ibi reciprocas patitur annorum vices
Amœna Flora, nullibi adverſos gemit
Oppreſſa ventos; inter æternos olent,
Flores ſmaragdos, ridet hîc quidquid polus
Indulget hortis, quando jam verno tepens
Titane tellus, quidquid abſtruſo diu
Nigrantis uteri latuit incluſum ſinu
Excludit iterum, mille in ornatum ſui
Animans colores. Ridet hîc quidquid parens.
Natura nunquam vidit, & paſſim viæ
Felicis urbis flore non noto micant.
Non ibi paludes ore peſtifero gravem
Halant mephitim, Nectaris rivi fluunt.
Et ubique fragrans balſami ſudat liquor.
Merumque tantum maſſicum fontes pluunt.
Nullus perennem Phœbus incendit diem.
Varioque nullas inſtruit vultu faces
Nocturna Phœbe, ſiderum nuſquam micant
Per inane flammæ, luridum nuſquam chaos
Offendit oculos, ſolus æterno nitet
Sol Agnus aſtro, quod nec immenſis premet
Nox ulla tenebris, ulla nec rapiet dies;
Quod me beatam reddet. O quod tot meis
Subſternet olim pedibus aſtrorum faces,
Et tot coruſca ſidera. O anime! O Deus!
Abſcede munde. Quis mihi lentum diem
Properare jubeat? O Deus! tecum mori?
Et adhuc moramur? Lictor ô collum amputa,
Placet perire; Sanguinem pro te lubens
Fundam Redemptor, tu tamen ſummum rege
Præſens laborem, tu tuam ſerva fidem:
Et quem notatum labe non unâ vides
Tuâ meâque ſpiritum morte ablue.
Valete Regna, tuque vicino magis
Infide ponto, ſorte meliori vale.
Marite Cæſar; tuque quàm pro me meo

Solio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Solio locavit Sortis injuſtæ furor
Theodora vive; quodque rapuiſti mihi
Feliciori dexterâ ſceptrum gere;
Et quàm maligno ſæpè Mæandro Duces
Regeſque verſet, illa quæ falſo boni
Larvata vultu, cæca mage cæcum trahit
Fortuna Mundum, nobili exemplo vide.

Chorus.

VErum eſt, an pavidis acta timoribus
Perſuaſit miſerum mens ſibi ſomnium,
Græcorum Dominam ſanguine regio
Infidi furias ſiſtere conjugis?
O quàm præcipitem fertur in orbitam
Sors nunquam ſolidis nixa favoribus!
Non tantum dubijs fluctuat æſtibus
Nauclerus medio pallidus æquore,
Quem tutò Pelagi ſcindere vortices
Ventorum prohibet magna potentia.
Non tantum volucri flamine demetit
Vernantis Boreas gaudia Chloridos
Aut Corus nitidi lilia ruſculi.
Neſcit Diva globo nixa volubili
Quemquam perpetuo paſcere nectare,
Et nutans dubijs undique paſſibus,
Confundit miſeris omnia caſibus.
Quicquid Luna ſuâ cernit ab orbitâ,
Curarum varijs vexat Erinnybus,
Et centum furijs flebilis Atropos.
Quæ cunctos homines prima rebellio
Olim ſidereis ſedibus expulit,
Fortunæ ſimul hæc fulmina tradidit,
Et primum docuit plangere funera,
Et crebras nimium flere tragœdias.
Quis non attonito pectore triſtia
Heroum ſtupeat fata potentium;
Quos Fortuna levi lubrica turbine

Extraxit patrijs ſæpe palatijs,
Et vili miſeros funere perdidit.
Et tu quæ tumidi ſumma Biſantij
Dux nuper fueras, ſanguine barbaram
Auguſti ſatians cæſa libidinem
Exemplum ſtatues nobile Regibus,
Quam ſors inſtabili culmine collocet
Terrarum dominos lubrica Principes.

ACTVS V.

Nuncius, Chorus.

Nunc. QVis me per æthera turbo ſublimem
vehat?
Procul ut Pelaſgis ultimo terræ ſinu
Vbi coruſcus invenit Phœbus diem
Primisq; radijs ardet; aut ubi face
Fugiente Zephyri floridos urit Lares,
Et ad cubile feſſus inclinat ſuum,
Aliquâ cavernâ tectus aut aliquo ſpecu
Tacitâ nefandum mente deplorem ſcelus,
Longoq; fletu funeri litem tuo
Infauſta Princeps? Itane venerandum caput
Crudelis enſis rapuit? & mortis tuæ
Impura meretrix flebile trophæum tulit?
Furioſa tigris, generis humani lues,
Neptis mariti patre nil melior tuo
Iſtumne decuit ſanguinem? ah pudet loqui,
Iſtumne decuit fundere? ô ſcelus! ſcelus!
Chor. Quæ fata plangis? *Nunc.* O ſcelus! dirum
ſcelus!
Chor. Quid te fatigat? *Nunc.* Vnius ſcorti ſcelus.
Chor. Quid iſtud? *Nunc.* Eheu; *Chor.* Perge, *Nunc.*
Quid properas tuum
Veſana luctum? Serò non unquam ſcies
Quicquid dolebis, Parce dementer tuas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Vrgere lachrimas virgo. *Chor*, Quid tardus meum
Suſpendis animum? triſte ſi quicquam tegis
Audacter effer: flere jam Græcæ novum
Non eſt puellæ quando per tot jam dies
Sat juſta lachrimis cauſa ſervivit meis.
Orientis ex quo Domina Fortunæ gemit
Captiva luſus, quiſquis hûic noſtro ſacrum
Indulſit orbi Phœbus, aut rapuit diem,
Madere triſtes imbre perpetuo genas,
Sparſoſq; lachrimâ vidit æternâ ſinus.
Nunc, Maria! *Chor* Quid? *Nunc*, Maria. *Chor*,
Quid moras trahis?
Nunc. Maria Princeps illa tam multis ſemel
Beata donis enſe lictoris jacet
Minuta collum? *Chor*. Scilicet. *Nunc*. Certum eſt
nimis,
Tantiq; ſceleris teſtis infelix fui.
Chor. O dura nimium fata! Cui tantum tamen
Maria de te licuit? At totum juvat
Audire luctum: fare, quo vultu tulit
Decreta mortis? *Nunc*. Fronte qua læti ſolent
Radiare Reges, quando regali prius
Aucti corona vota gaudentis legunt
Plauſuſq; populi. Nullus auguſto metus
Pallebat ore, nullus albebat timor,
Sed mens quietem fronte prodebat ſuam.
Niveaſq; pulcher pinxerat genas rubor
Talis fugacem ſæpe comitatur diem,
Dum Sol cadentes nube non ſpiſsà tegens
Fugitivus ignes, purpurat late polum
Moriente flammà, Nulla tam magno tulit
Animo miſerias, nulla tam forti necem.
Cum jam ſupremum Phœbus adferret diem,
Tantiq. ſceleris conſciam pallens facem
Invitus alti linqueret lectum maris;
Auguſta vitæ feſſa, vicinam necem
Toto vovebat pectore, & multa prece
Certamen offerebat extremum Deo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Donec ſat elles fronte turbata minax
Adeſſe tempus monuit: Exſurgit miſer
Domeſticorum planctus, & mœſtæ undique
Sonuere voces: illa nil mutans ſuum
Genero ſa vultum, pectore excelſo ſtetit,
Pauciſq; verbis ultimum dicens vale,
Alacri paratam tendit ad mortem pede,
Collumque nudans inter ardentes preces
Et crebra vota voce morienti ſuum
Ieſum frequentans, quem vel avulſo quater
Repetebat ore, fronte ridenti ferum
Excepit enſem, perque patefactas vias
Summum beatus animus aſcendit Polum,
At ecce tonſa verticem canum fide;
Scorti nefandi grande deplorat ſcelus.

Fides maritalis fugiens, Chorus.

Fid. ERgone potuit barbarus tantum furor
In te Maria? Tune tam magnæ ſemel
Potens coronæ, tune regali jaces
Cervice trunca? Gemite tam diram necem
Quotquot Pelaſgi colitis hymenæi fidem.
Columna fidei cecidit. ô ſcelus! ſcelus!

Chor. Heu! heu! heu! heu!
Dolor infelix miſerande dolor
Genus heu miſeri flebile lethi
Heu! heu! heu! heu!

Et vos Pelaſgis rarius viſi plagis
Lupi redite; matris è lupæ ſinu,
Suum Lycaon noſcet hic iterum genus.
Orientis Aquila plange, nec læto dein
Recreare campo, quidquid imperij ſemel
Nituit in armis. pullus invadat color,
Vel qui cruenta ſcelera teſtetur ruber.
Orientis eheu Domina, cæſareo thoro

Expulſa

Expulſa, tragicam ſenſit Auguſti fidem,
Heu! heu! heu! heu!
Scelus infandum! crudele ſcelus!
Genus heu miſeri flebile lethi
Heu! heu! heu! heu!
Et tu Pelaſgi magne Dominator maris
Superbe Nereû, lachrimis totum jube
Madere Pontum Quotquot abſtruſas freti
Habitant cavernas monſtra, mugitu gravi
Terræ propinquæ grande condemnet ſcelus:
Rauciq; quotquot Hellados littus premunt
Pulſantq; fluctus, lachrimis tumeant ſuis,
Ut ante ſpumis: quiſquis ærata trabe
Navita profundas ſulcat Ægei vias
Viſurus Hellen, murmur inſuetum audiat
Gementis undæ; videat & quotquot freti
Fluctus pererrant cæruli cives maris,
Lugubre pinnis pectus ut plangant ſuis,
Salſumq; jam non æquor, at fletum bibant,
Orientis illa Domina qua nullam ſemel
Sibi imperantem lætior Nereus tulit,
Lictoris enſe cecidit. o. ſcelus! ſcelus!
Heu! heu! heu! heu!
Plangite piſces, plangite fluctus
Genus heu miſeri flebile lethi
Heu! heu! heu! heu!
Et vos tepentis hoſpites veris piæ
Silete volucres. Nulla funeſtos, ſtrepat
Muſica per agros, planctibus crebris ſonet
Implume pectus, facinus hoc tantum jubet.
Vel fugite potius, fugite tam triſtes domos,
Et inhoſpitales impij Regni plagas;
Et ubi vel undas Phœbus Heſperias bibit,
Vel ubi renato littus incendit die,
Narrate cunctis Doricam terris fidem,
Narrate Regibus unius ſcorti ſcelus.
Fugite, volucres fugite, nec dirum de'n
Recreate Regnum, Solus hic longas gemat

Bubo per umbras, & minaci carmine
Ventura meritæ fata Theodoræ canat.
Et quæ ſiniſtrum nunciant omen ſtriges,
Habitent cruentos ſemper infauſtæ Lares,
Et inominato luridam cogant ſono
Horrere noctem, Tuq; quæ doctis Ityn
Soles dolere næniis, novum geme
Philomela crimen. Occidit Princeps tuo
Ploranda queſtu. Totius Mundi potens
Nuper corona, lictor avulſit caput.

Heu ! heu ! heu ! heu !
Plangite cunctæ, plangite volucres
Scelus impuri flebile ſcorti,
Heu ! heu ! heu ! heu !

Et tu diurnam Phœbe qui curru vehis
Radiante lucem, nube perpetua tuos
Abſconde vultus, nullus indigno dies
Oriatur Hæmo: noctis æternæ chaos
Iſto madentes ſanguine invadat plagas ;
Tantiq; ſceleris conſciam terram premat;
Et tu ſilentis Luna dominatrix poli
Induere pulla veſte, nec lentam veta
Horrere noctem, duplici cœlum tege
Umbroſa velo, ſi qua non multo metu
Rariſq; tenebris Græciæ damnet ſcelus
Parum alta nox eſt. Quotquot æthereum colunt
Ignes Olympum, veſte ſe nigra tegant,
Et fulgurantes penitus extinguant faces,
Tantumq; tectâ fronte deplorent ſcelus.
Innocua Princeps quam tot ornarat favens
Natura donis, enſe lictoris jacet.

Heu ! heu ! heu ! heu !
Lugeat æther, lugeat orbis.
Scelus impuri flebile ſcorti.
Heu ! heu ! heu ! heu !

Et tu Boote qui per umbroſum poli
Silentis æquor igneas flectis rotas
Deſcende cœlo, nobiliſq; Principis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Illuſtre funus aureo curru excipe:
Cunctiſq; cœli pariter & mundi plagis
Monſtra nefandum ſtirpis inceſtæ ſcelus,
Et qua patentis lacteus pingit nitor
Vias Olympi, circulus ſurgat novus,
Æther cruorem totus effuſum bibat,
Et tam beato ſanguine illuſtrans polum
Boreæ Pelaſgam monſtret & Noto fidem.
Venite Stellæ, languidâ magnum face
Comitare Cygne funus, & crebro nefas
Teſtare planctu. Quæq; vicino Lyra
Aſtro ſuperbis, flebiles move fides,
Multoque queſtu barbarum damna ſcelus.
Et tu minaci Taure qui vultu micas,
Oculoque torvus dextero ſemper rubes,
Cruore totum corpus effuſo lava,
Sacriq; teſtis ſanguinis totus rube
Tu qui per amplum plurimo curris polum
Armatus auro, Pleiadas parum ſine
Audax Orion, enſe quo totum potes
Terrere cœlum, vindica novum ſcelus.
Maria Princeps cecidit o dolor! dolor!
Heu! heu! heu! heu!
Plangite cunctæ, plangite ſtellæ
Scelus impuri flebile ſcorti,
Heu! heu! heu! heu!
Plorate nubes, ſi quod immerito jubar
Oriatur Hæmo, flebilem vehat diem
Pluviâq; mœſtum damnet æternâ polum.
Plorate terræ, funus hoc totum jubet
Plorare mundum. Principis magnæ vices
Gemant Monarchæ; Principis fidæ necem
Gemant Maritæ, conjugum decus jacet,
Iſtudque quæ ſecuris avulſit caput
Me quoque Pelaſgis exulem pellit plagis.
Heu! heu! heu! heu!
Plangite cunctæ, plangite terræ
Genus heu miſeri flebile lethi!

Heu ! heu ! heu ! heu !
Vale Pelaſge, ſancta te linquit fides :
Et quas recenti penitus incenſas die
Illuſtrat oras, quaſque fugienti premit
Occiduus igne Phœbus inviſit plagas.
Vale Pelaſge, ſancta diſcedit fides.
Heu ! heu ! heu ! heu !
Plangite cœli, plangite terræ
Plangite volucres, plangite piſces,
Scelus infandum crudele ſcelus
Genus heu miſeri flebile lethi
Heu ! heu ! heu ! heu !

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

JACOBI ZEVECOTII

Roſimunda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nobiliſſimo & Ampliſſimo

D. THEODORO GRASWINCKELIO Equiti

Et cauſarum apud Batavos Patrono diſertiſſimo.

DUm Roſimunda typis iterum vulganda veretur
Patrono cupiens orba manere domi:
Te Graſwinckeli, quem non Hollandica tantum
Sed quoque, cum Veneta, natio multa colit;
Quem vis ingenij, quem tot defenſa clientum
Agmina, præcipuis inſeruere viris;
Muſa tuas venerata fores pudibunda requirit,
Tuta patrocinio poſſit ut eſſe tuo.

ROSI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ROSIMUNDA.

Argumentum EX EPISTOLA Clariſsimi Viri ERRYCII PUTEANI I.V.D. ET REGII HISTOR. Profeſſoris, ad Authorem.

NUPER Roſimundam tuam accepi, munus omnibus gratijs ſtipatum. Sic te ſcribere! oſtendis profecto, & noſtro hoc ſterili elegantiarum ſæculo, extendi tragica aulæa poſſe: oſtendis, nihil arduum deinceps aut ingenio tuo aut ſtilo futurum. Mihi verò ſemper dignum cothurno hoc argumentum viſum eſt, in quo quantum ſceleris, tantum ingenij & admirationis. Breviter: quicquid Regina auſa eſt, ſcribendi felicitate ſuperaſti: ampliuſque drama hoc tuum habet, quam rapere adultera fugiens potuit. Theſauros rapuit: ſed tua quot verba, tot gemmæ ſunt; quot pagellæ tot gazæ. Hiſtoriam meam Inſubricam, an barbaricam potius dicam? vidiſti? libro II. *ubi de Longobardis, hæc imago eſt: Alboinus, cum rebus firmatis nullius hoſtis arma timeret, con-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

jugis Roſimundæ ſcelere perijt. Iræ cauſſa: è cranio Patris, marito propinante biberat; adeòque contumeliæ impatiens fuit, ut adulterij fraude vindictam quærens, Mœchum & parricidam mox admiſerit conjugem, tam libidine audax quam cæde nefaria. Sed quæ inceſti matrimonij fides! Ravennam cum conjuge & theſauro regio profecta, cum ad tertias novo ſcelere adſpiraret nuptias à Longino Exarcho amari cœpta, cruento propemodum adhuc marito infectum veneno poculum porrigit, è quo & ipſa coacta bibere, punivit facinus quod commiſerat, &c. Vale, Lovanij in arce prid. Non quinctil. ClƆ IƆC XXI.

PERSONÆ.

Umbra Cunimundi.	Satellites.
Roſimunda.	Umbra Alboïni.
Diletta.	Longinus.
Helmiges.	Senex.
Nobilis.	Chorus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

ACTUS I.

Vmbra Cunimundi.

EMerſus imo Ditis inferni ſpecu
Deo jubente, rurſus ad ſuperos redi
Vt quam caducis cœca nitatur rotis
Fortuna Regum, nobili exemplo probem.
Fuge Alboine, quaque pereuntem diem
Extrema Tethys Cronio mergit mari,
Vltra Cadenos hiemis immenſæ reos.
Vbi rigentis ultimum terræ latus
Gravis flagellat plurima ventus nive,
Maluſque vexat Iupiter; & æſtas pigros
Non ulla campos dote geniali fovet;
Arce periclum: quaque ſaxoſum premit
Formidoloſis ſilva Sevonem comis,
Aliquo recondens noxium ſpecu caput
Fuge Roſimundam, vindicem patris fuge;
Nemeſis ſequetur, quaque non fauſtum gradum
Scelerate figes, aderit æternus comes
Truculentus horror, & cathenatus pavor,
Et inquietæ pœna conſcientiæ,
Furorque mentis tortor infelix ſuæ.
Potes maritam fugere, ſed temet nequis;
Semper diurnos atque nocturnos vehes
Tecum pavores; ſemper ante oculos tui
Imago ſceleris, ominis diri minax
Nullum timoris liberum ſinet tibi
Abire tempus; ſive formoſum diem
Titan reducat, criminis teſtem tui
Miſer timebis: ſive vicini notes
Rubere dubium Solis adventu polum,
Iterum pavebis ſanguinis memor mei;
Et multa ſurdos voce non purâ Deo.
Fruſtra rogabis, aureque arrectâ ſonos

Venatus

Venatus omnes, ſi vel objecti audias
Trepidare nemoris folia, vel venti impetu
Ex imminenti rupe devolvi nives;
Inſtare credes vindicem, & latos fugâ
Raptus per agros, aut in obſcuro latens
Silvæ receſſu fata lugebis tua.
Quin animus ipſe frigido exſanguis metu,
Soloque fixus, cuncta trepidabit reus
Et ubique cernet eſſe, quos fugiet Deos.
Sic quando ſtabuli clauſtra perfregit lupus,
In oves, & agnos impio rictu furit,
Indoctus ulli parcere; ac notam licet
Subruma parentem premat, & indignam nimis
Non audiendo trepida balatu necem
Exoret agna, ſurdus obſtinat ſuas
Aures querelis; & moveri neſcius
Donec cruentam totus explerit famem,
Deſpumat iras, & ferum quaſſans caput,
Durumque triſti pulverem ſpargens pede,
Dentes & ungues acuit in reliquum gregem;
Quouſque tandem cædis indignæ ſatur
Iam vacua linquit ſtabula, & inſtantis timens
Paſtoris iras, incito curſu petit
Spelæa noti nemoris; aut aliquo latens
Montis ſub antro cuncta metitur vagis
Sollicitus oculis: nec loco fidens ſatis,
Et huc, & illuc anxium pedem movet,
Et huc, & illuc anxium lumen rotat
Si forte tutum videat; at fruſtra ſtudet:
Nec hic, nec ibi ſecurus, immites canes
Imaginatur ubique crudelis timor:
Et ſi vel umbras arborum cernat levi
Vento moveri, territus rurſum fugit.
Donec doloſis paſtor indutum plagis
Perire jubeat ſanguinis multi reum.
Dominare tumidus. Si nimis brevem tuò
Metam ſubactus figat imperio Padus,
Adjunge Natem; quaque ſulphureus ſacris

Anienus undis Tybur Herculeum lavat
Grandi latratu ſpumeum torquens caput,
Et qua quieto lenior ſerpit vado
Tyberim propinquum veritus, Heſperios pete
Populator agros; aderit à tergo Deus:
Et te Tyranne gentium, regum pavor;
Te ſanguiſuga plebis, & non unius
Raptor Coronæ, dire tot Ducum popa,
Abominanda generis humani lues,
Ferox cinæde, feminæ in prædam dabit,
Quæ tot tuorum criminum pœnam exiget
Et tot nefandos debita cataſtrophe
Concludet auſus. Perge genitoris tui
Roſimunda vindex, crimini tanto parem
Indue dolorem, conjugem totam exue:
Et ſi quis uſquam patris occiſi tuis
Amor medullis reſtat, & pie furit,
Succedat, orbæ convenit natæ furor.
Aſſume ferrum, fœminam ferrum decet
Dum cauſſa tanta eſt, Ipſe ſufficiam tibi
Præſens furores, ipſe librabo manum;
Tu te parentis vindicem & natam proba.

CHORVS,

SI non omnia Vates
Falſo carmine fingunt
Vindex patris Oreſtes
Mœchi ſanguine fædus
Maternoque cruore;
Vidit pallidus atrâ
Vmbras fronte minantes;
Vidit Monſtra barathri
Multo livida tabo,
Nigris horrida tædis,
Effrenumque ſceleſto.
Sævi conſcius acti
Hauſit corde furorem:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et per barbara raptus
Duri regna Thoantis,
Vix dum flumine vivo
Ægros abluit artus,
Euxinæque Dianæ
Secum Numina vexit
Liber exuit hauſtum
Totâ mente furorem,

Quiſquis ſtygio percitus œſtro
Diro ſcelerum tactus amore
Iuſtas Superûm provocat iras,
Quamvis Tyrio ſplendeat oſtro,
Et regali murice tinctus,
Latâ tumidus ditione premat,
Quidquid Lybicis ardet in agris,
Quidquid gelidi potor Araxis
Videt ignavo frigore claudi:
Quamvis validis plurimus armis
Atria ſervet clauſa ſatelles
Timet infelix, & perpetuas
Ægro nutrit pectore curas,
Quoties ſolo ſtratus in horto
Propter vitrei murmura fontis
Quærit placidi munera ſomni;
At ſi tenui forte quiete
Defeſſa nimis membra fruantur,
Quot ſibi demens ſomnia fingit!
Quot mala cæcæ Numina noctis!
Simulachra modis pallida miris
Larvas, Lemures, tantumque uno
Pede nitentes timet Empuſas;
Et terribili ſyrmate Manias,
Et ferali ſchemate ſpectra
Putat ante oculos mœſta volare,
Capitique reo multa minari,
Et tremit omnes frigidus artus,
Quoties timidis callida noctis

Retiã

Retia damis, & per opacæ
Horrida ſilvæ devius errat
Omnia pavido pectore verſans,
Omnia triſti corde volutans,
Si carnificem forte timorem
Vigileſque queat fallere curas,
Et ſollicitam ſolvere mentem
Dura nimium compede nexam,
Fruſtra Superos, juſtique fugis
Numinis iras, & vibrati
Fulminis ignes, quicumq; tuam
Polluis aliquo crimine vitam;
Miſer à tergo terror anhelat,
Et non uno noxia flagro
Pectora vindex torquet Erinnys.

ACTVS II.

Roſimunda, Diletta.

Roſ. ITane Alboine? Vindicem teſtor Deum;
Non iſta tutâ ſcelera moliris manu,
Funeſte Non ſat fuerat immeritum ſuo
Spoliaſſe regno? Majus audendum nefas,
Majora dirus auſa ſuggeſſit furor,
Horreſce tellus, raptor alieni imperî
Regem peremit, non tamen ſatis fuit.
Nec inter iſtos limites furor ſtetit:
Caluam perempti ſubdolâ gemmâ tegens,
Abominandi finxit in formam ſcyphi,
Dirique plenam Maſſici Natæ obtulit,
Venerande Genitor, fateor, attonitum mihi
Trepidaſſe pectus, & reluctanres pio
Horrore fauces, impium potum ſuo
Damnaſſe motu: fateor affixam meo
Linguam palato, dum recuſavit diù
Abominando pollui guttur mero,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Pavidusque primo Bacchus á labro fugax
Ad ima ſeſe ſpatia contraxit ſcyphi.
Quin ipſe tanti venter interpres mali
Ter ſumpta vina reſpuit; ter pertinax,
Luctante quamvis ventre repetivi nefas,
Ignara tanti criminis. Teſtor Deos
Quod Alboini fraude commiſi ſcelus,
Luet Alboinus: victimam dignam brevi
Venerande Genitor Manibus cædam tuis,
Sceleſte! ſicne fœdus obſervas tuum!
Et conjugali debitam toro fidem?
O tu Deorum, quiſquis in cœlo tonans
Sortes nocentum ferreâ verſas manu,
Iuſtuſque teſtis criminum & vindex ſedens
Secura nunquam gaudia indulges reis;
Adeone pigra torpet ad fulmen manus,
Vt tale facinus aure tam lentâ audias?
Maritus iſta conjugi? horreſcit loqui
Attonita lingua faucibus adhærens meis,
Crimenque quod guſtavit, effari timet.
Maritus iſta conjugi? & quiſquam ſuper
Curare juſtos credat hunc orbem Deos?
Nugamur iſta creduli, & ſtultâ levem
Prece verberantes aërem, fruſtra Deûm
Speramus iras, quos nimis vaſto Polus,
Nulliſque votis pervio claudit ſinu:
Illic quieti nectar æternum bibunt,
Et ocioſis deſides vacant jocis,
Mundique & hominum neſcij, quos vel parens
Tellus, vel aliquis caſus enixos dedit.
Quid ergo ſtatuis anime? Quid lento polum
Tueris oculo? Nullus exaudit tuas
Vindex querelas, nullus auſcultat preces:
Niſi quod cruore lividum toties meis
Occurrit oculis ſchema non ulti Patris;
Cui tu Tyranne ſanguinem debes tuum,
Age Roſimunda, penitus in furias abi:
Nil humile tot ſceleribus offenſam decet

Agitare

Agitare Natam; totus armetur dolor,
Tuoque cuncta ſecula exemplo ſciant
Quid poſſit orbæ ſtrenuus natæ furor ,
Quid læſa conjux *Dil:* Siſte furialem impetum,
Tibique frenos injice. *Roſ* Inviſum caput
Vah Alboine. *Dil.* Nimius expiret dolor.
Roſ. Expiret Alboinus. *Dol.* At primum dolor,
Dum ſaniora ratio conſilia ingerat ,
Et aliqua luctum minuat atrocem dies.
Roſ. Diletta, tu dolere Roſimundam vetas ?
Non tardus adeo concitat fibras amor
Cæſi parentis, ut vel extingui mora,
Vel longiore temporis lapſu queat.
Dum pura tacitos Luna luſtrabit polos,
Et cæca noctis ſpatia diſſimili levis
Percurret igne, vita dum ſinet mihi
Animuſque flatu membra vitali reget
In Alboinum ferream mentem geram,
Etiam ſepultũ. *Dil.* Conjugem? *Roſ.* Non eſt meus.
Dil. Memini fuiſſe. *Roſ.* Cum tori ſervans fidem,
Sat fuetat unum Regis occiſi ſcelus;
Nec adhuc parentis oſſa violarat mei
Nullis tacendum ſeculis audens nefas.
Del. Regina Regẽ perimet? *Roſ.* Hoc non eſt novũ
Perimere Reges, nobili exemplo mihi
Præit Alboinus ; Rex meus fuit pater
Ab eo peremptus. *Dil.* Longabordorum ducem?
Roſ Adde & Tyrannum. *Dil.* Glorioſum prinsipem?
Roſ. Fortemque quando bella cum Larvis gerit.
Dil. Teſtatur hoc Iuſtinus. *Roſ.* Et cæſus pater.
Dil. Quid ergo ſtatuis? *Roſ.* Victimam cæſo dabo,
Dil. Regina. *Roſ.* Tanti nominis dudum pudet.
Dil. Furioſa. *Roſ.* Iuſtus nempe ſic furit dolor,
Dil. Inſana. *Roſ.* Patris vindicem inſanam vocas?
Dil. Infida thalamo. *Roſ.* Quis fidem læſit prior?
Dil. Scelerata. *Roſ.* Vindex ſceleris. *Dil.* Et novi artifex.
Roſ. Quis me nocentem patris ultricem vocet?

Dil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Dil. Quis innocentem, ſcelere quæ punis ſcelus?
Roſ. Dum jure liceat. *Dil.* Barbaro; *Roſ.* Tali jacet
Pater interemptus. *Dil.* Dura *Roſ.* Quid nugas feris.
Tantique cauſſam criminis demens agis?
Pereat Tyrannus. *Dil.* Militem nullum times?
Roſ. Timere nullum didicit offenſus dolor.
Dil. Quid ſi peribis? *Roſ.* Dummodo is pereat prior,
Nihil morabor, ibo quo fatum vocat:
Optata Gepidis nuntia & patri ferens
Necem Tyranni. *Dil.* Quo tamen perimes modo?
Roſ. Quo non veretur, *Dil.* Fida quem comitum
Contra univerſos impetus tutum tegit? (manus
Roſ. Erras Diletta, tutus haud ullus fuit
Vnquam Tyrannus. Si vel obſervent fores
Quotquot Tibiſci Iazyges fontem bibunt,
Quotquot Sevonis aſperum jugum incolunt,
Et inhoſpitale Cronij littus freti
Nihil timebo; ſi vel Ombrones trahat
Lucoſque quotquot inter Hercynios agunt
Fortes Suëvos, conjugis læſæ graves
Non ſiſtet iras, quam nimis juſtus dolor,
Seu fraude, ſeu vi petere vindictam jubet.
Dil. Sed quis juvabit? *Roſ.* Helmiges. *Dil.* *Meus*
Helmiges?
Meus juvabit Helmiges? parce ô precor
Regina, ne fors Helmiges pereat meus.
Roſ. Nihil timendum eſt Helmigi; tutum dabo.
Tu quando Phœbus aureum merget caput,
Et ſparſa toto ſidera micabunt polo,
Meo cubili clauſa vicinam teres
Diletta noctem, dum tuo cubans toro
Tuum morabor Helmigem, ut tandem feri
Non perferendum diſcat homicidæ ſcelus,
Et in Tyranni pariter armemur necem.
Dil. Regina, quamvis animus exſanguis tremat,
Ac impedito ſentiam motu pigrum
Vix palpitare pectus, & centum ſibi
Cauſas timendi ſuggerat juſtus timor,

Non tamen inerti crede me quidquam metu
Suadere mortis. Helmigi heu vereor meo.
Regina, ſi vis, utere hac dextra tibi
Semper fideli; furere nunc etiam tuo
Didici furore. Sanguinem pro te libens
Vitamque fundam, at Helmigi ut parcas rogo,
Supereſſe vitæ quem nimis volo meæ.
Regina parce. Pereat, & pœnas tibi
Det Alboinus. Helmiges vivat tamen.

HELMIGES.

IAm luce pulsâ noctis optatæ vices
Cœlum ſolumque vellere umbroſo tegunt
Fautrixque amorum Luna non ullum ſilet
Induta lumen; greſſibus tantum meis
Plurima minorem ſtella prælucet facem,
Viamque rectam ſignat: aſt hoc ſi mihi
Dixiſſe liceat, vanus eſt tuus favor
Nocturne civis: tegite formoſum caput
Quotquot tacentem pingitis flammæ polum.
Mi majus aliud lucet ex oculis tuis
Diletta lumen: hoc meos regit pedes.
Hoc deviare prohibet, & toto licet
Spargatur orbe triſte tenebrarum chaos,
Solique lumen rapiat, & pluchram vetet
Radiare Phœben, huncque terrarum globum
Nox æviternâ pertinax umbrâ tegat,
Securus inter mille tenebrarum metus
Solem videbo. Scilicet nunquam occidit
Dies amanti, quando ſincero æſtuans
Amore pectus jubar inocciduum ſui
Adorat aſtri, ſive damnato neget
Olympus orbi ſidera, & ſacros velit
Noctis Penates aureas ſpiſſa comas
Celare nube; ſive non ullum piger
Plauſtrum Bootes lucidâ verſet face,
Nullusque Mundum melior illuſtret Deus;

Circum

Circumvolantem tutus horrorem nigræ
Ridebo noctis, luce defenſus tuæ
Diletta frontis. O nimis gratum diem
Quicumque cunis primus illuxit meis.
Qui non volucri ſortis inniti rotæ,
Aut fragilis auri tabidam pati ſitim,
Vanique honoris eſſe mendicum dedit,
Sed amare docuit. Captet incertum levis
Auræ favorem; ſceptraque & dirum miſer
Meditetur oſtrum, quiſquis oblitus Deæ
Fallacis æſtus labilem aſcendit thronum,
Tragicoque tinctam murice indutus togam.
Sibi imminentes ſemper exſpectat Deos
Nunquam ſatur timoris; & nunquam boni
Securus animi nil ſibi tutum putat.
Quam ſæpe feſſis ſomnus obrepens genis
Nunquam quieto cedit abruptus metu
Quam ſæpe cuncta numerat immenſæ miſer
Momenta noctis; interim ſi mus pipit,
Vel deprehenſam felis in prædam ruit,
Caniſve latrat aliqua, vix audet loqui;
Tamen ſilere prohibet infelix timor,
Domeſticoſque voce non plenâ invocat,
Et multa quærit inſcios; ſi vel fores
Satis fideli peſſulo obductæ ſilent.
Vel aliquis imâ clauſus in domo latet,
Lumenque tenebras veritus accendi jubet;
Iterumque & iterum cuncta rimatur loca
Suſpecta demens quotquot effecit pavor:
Nec ſic quietus, mille per divortia
Vagatur animus, donec aſpiret dies,
Novamque miſerum rurſus ad curam vocet.
Sincera nunquam gaudia Potentes habent,
Quamvis beatos vulgus inſanum putet.
Quicumque dubiæ mille Mæandros Deæ
Crebroſque luſus novit, is mecum ſciet
Nil invidere Ducibus, & amori ſacer
Ridebit omnes altior Regum vices,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Diletta ſine te nulla dominatur meo
Regina cordi. Sola formoſa manu
Vitæ neciſque jura diſpenſas meæ.
Tu dulcis adamas Helmigem totum trahis,
Tuumque cogis vivere, & mori tuum.
Tu dulce centrum claudis optato ſinu
Quicquid requirit Helmiges, quicquid vovet,
Tu me ſuavi compede annexum tenens
Deſiderati carceris ducis reum:
Duceſque, donec quæ tibi ſummum dies
Ius atra dicet, jus ſimul dicat mihi.

CHORVS.

IAm vaga toto ſidera cœlo
Lato choreas agmine ducunt,
Et genitrici dulcia nocti
Carmina lætâ voce frequentant.
Illinc reliquis altior aſtris
Non mergendo cernitur igne
Vibrare facem, nunquam fixo
Mutata loco, cardo magni
Alter Olympi, ſtella Polaris.
Hic Arctoo frigore torpens
Lucida verſat plauſtra Bootes,
Septem nitidis ignibus ardens,
Ubi Gnoſſiacæ molle puellæ,
Ter tria pingunt ſidera ſertum.
Illic gelido natus in axe
Circulus albo lumine ſplendet,
Qui vel tectis candidus aſtris,
Vel magnarum lacte Dearum
Pingens taciti cærula Cœli;
Late medium dividit orbem,
Rigido Boreæ notus & Auſtro.
Hinc obliquo tramite totus
A Zodiaco ſcinditur æther,

Ubi prudentis dextra Tonantis
Bis ſex voluit ſigna micare,
Singula varijs lucida ſtellis,
Illinc magno Sirion aſtro
Videt ardenti currere cœlo,
Et ſitientes urere campos
Iam maturâ meſſe colonus.
Inde paventes ſævus Orion
Sequitur ſtricto Pleiadas enſe:
Calcat Leporis dextera dorſum;
Timet Eridani gurgite mergi
Inflexa parum planta ſiniſtra.
Stringit medios baltheus artus
Late triplici luce coruſcus;
Humerique levans lumina dextri
Prope contingit cornua Tauri;
Unde piarum turba ſororum
Plangit miſeri funus Hyantis,
Et perpetuis humida lachrimis
Mundo veterem prodit amorem:
Quas obliquo lumine cernens
Auriga pedem flexus utrumque,
Multoque madens lacte, coruſco
Aurea geſtat vellera dorſo:
Lævaque bino lumine ſplendens
Gerit infeſtos navibus Hædos.
Vbi ſidereâ fulgurit Harpe,
Cæſamque gerit Gorgona Perſêus
Sponſæ pedibus proximus inſtans;
Quam ſtelliferis prævolat alis,
Multo radians Pegaſus igne.
Qua ſervati præmia Vatis
Vehit inſigni tergore Delphin.
Et qua niveis nititur alis
Teneræ Ledæ cautus adulter;
Tangens rutilum pœne Draconem.
Vnde minori proximus Vrſæ
Videt Andromedæ ſidera Cephêus,

Et

Et vicinæ conjugis aſtra.
Hinc invito Capra Lyœo
Iovis infantis fulget alumna,
Vbi frigentis ſidus Aquari
Plenâ pluvias diſſipat urnâ.
Inde tumentis paſcitur Hydræ
Avidus longo tergore Corvus;
Et vicinam reſpicit Argo:
Fugida cujus tranſtra gubernat
Multo pingens lumine clavum
Nunquam noſtris viſus in oris
Sed bene Pharijs cognitus agris,
Pulchrâ rutilus fronte Canopus;
Quo non aliud clarius uſquam
Toto radiat ſidus Olympo.
Hinc uno poplite flexus
Verſa facie ferus Alcides,
Ora minantis reſpicit Anguis,
Et nodoſæ pondera clavæ
Alte pavidum librat in hoſtem:
Dextera crines planta Bootis,
Premit immanem læva Draconem,
Tangitque manus pæne ſiniſtra
Inſtrumentum nobile Phœbi.
Cujus ſonitu Thracius Orpheus
Potuit duros mulcere Deos;
Et difficilis Numina Regni
Dulci querulus flectere cantu:
Potuit vaſtis horrida tenebris
Atria Ditis, quæ Styx novies
Interfuſo gurgite claudit,
Non offenſo penetrare pede
Pulchræ Eurydices fidus amator.
Felix nimium, qui Fortunæ
Liber ad æſtu, deſpicit alto
Pectore curas regia circum
Tecta volantes, & ſigniferi
Hoſpes Olympi, ſtupet attonitus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Centum gemini ſecreta poli.
Qui ſcrutatur cur ita properent
Se brumales perdere Soles.
Cur tam longas protrahat umbras
Nox hybernis vecta quadrigis,
Cur noctivagæ cornua Lunæ
Nunquam certa lege vagentur,
Et modo plena, modo dimidia
Micet inconſtans Cynthia fronte.
Cur tam dubio fulmina motu
Icta ferantur. Cur Phœbæa
Non violando vertice Daphne,
Si Divorum læſa ſagittis,
Vel fulmineis arida flammis
Veterem perdat frondis honorem,
Triſti augurio terreat orbem,
Et venturi tempora belli,
Vel Magnatum funera ſignet:
Cur ſi nigris cornibus horret,
Quando reverſos colligit ignes,
Delia magnos nunciet imbres.
Cur virgineo tincta rubore
Præparet Euros aurea Phœbe,
Cur ſi quarto purior ortu,
Non obtuſo nubila cornu
Albis niteat Cynthia flammis,
Nullo Boreæ flamine læſus
Agat in ſudo rure colonus
Longa beati tempora menſis.
Quid tam multis variet maculis
Vix bene natum Delius aurum,
Dum præſagus denotat imbres;
Vel ventorum triſtia toto
Debacchantum prælia ponto.
Quid tam mœſto pallida vultu
Linquat croceos Aurora toros,
Dum vicinis ſentit pluvijs
Omnia cœli labra gravari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et fæta fere nubila findi.
Quid tam varios imbrifer arcus
Trahat adverſo Sole colores.
Qualia mundo damna minetur,
Aut ignito ſyrmate dirus,
Aut ardenti crine Cometa.
Felix nimium! qui Naturæ
Admirandas diſcere leges,
Et ſolerti mente latentes
Rerum potuit noſcere cauſas.

ACTVS III

Roſimunda, Helmiges

Hel. REgina parce. Conjugem & Regem jubes
Perire ferro? *Roſ.* Patris homicidam mei.
Hel. Hoc jure belli licuit. *Roſ.* Hoc alio licet
Hel. Natura facinus improbat. *Roſ.* Pater probat.
Hel. Diù ſepultus ſcilicet. *Roſ* Tamen mihi
Adhuc ſuperſtes. Vlla vix fugit dies
Quin inter umbras ejus effigies meis
Oberret oculis, ſanguine & tabo obſita:
Et ſæpe pavidæ monſtrat abſciſſum caput.
Et adhuc cruenta vulnera, ac fracto ſono
Crebro ingemiſcens animat in cædem viri;
Ferrumque tradens, pectus ambiguum excitat,
Et ſæpe repetit: Ipſe ſufficiam tibi
Præſens furores, ipſe librabo manum:
Tu te parentis vindicem & natam proba.
Probabo natam genitor, & mortis tuæ
Animoſa vindex, facinus audebo novum
Quod nulla ſileat, nulla non ſtupeat dies.
Hel. Regina quid te ſomnij luſam dolo
Inane ſpectrum ſtimulat ad tantum nefas?
Queiſcumque celerem Parca pernevit colum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Adſcribit ultra non reverſuros Stygi.
Sed ſæpe mens humana, quam fallax amor.
Tacitæque noctis forte decepit pavor.
Imaginatur ſpectra, & amiſſos diu
Rediiſſe Manes credit; aſt Lethe novem
Remeare prohibens alueis vinctos ligat,
Quin ipſe cæci rigidus imperij Deus
Adamante multo ferreas claudit fores
Et ſi quid in cadaver aut hominum impius,
Aut beſtiarum triſte deſignet furor,
Curare vel ſentire defunctos vetat.
Roſ. Si nocte tantum, miſera, vidiſſem mei
Spectrum Parentis, quando vel demens timor
Senſus quietos faſcinat, vel mortuos
Falſo rediſſe pertinax amor putat;
Fuiſſe luſam ſomnio haud ægre feram.
Majora dicam monſtra, quæ Sol conſcius
Et vana non fuiſſe teſtetur dies.
Cum me nefando pollui primum mero
Caluamque patris impio labro attigi:
Horrore ſubitus membra concuſſit pavor,
Et Alboini grande teſtatus nefas
Salſus per artus ſudor attonitos ijt,
Piaſque ſceleri ſtomachus occludens fores
Vomere coegit: corrui, lapſam piæ
Famulæ fovebant, jamque dubitantem mori,
Et pæne Patri redditam, ad lucum ferunt,
Qui ſpiſſus umbra regio incumbit Lari;
Hinc ter vocari nomen audivi meum.
Et ecce, & ecce, rurſus hic adſtat mihi,
Et Alboinum rurſus ad pœnam vocat;
Venerande genitor! Helmiges, nunquid vides?
Iterum receſſit. Anime quid moras trahis
Inulte? Patris vindicem & natam proba.
Iam tempus urget. Helmiges virum indue.
Hel, Ignoſce. *Roſ*, Vel tu morere, *Hel*. Quid
Princeps jubes?
Roſ. Pereat Tyrannus. *Hel*. Egone tam clarum Ducē?

Roſ.

Roſ. Vel tu peribis nobilis ſtupri reus.
Hel. Regina! *Roſ.* Vel jam perime. *Hel.* Quo poſſem modo,
Cujus ſatelles plurimus ſtipat latus?
Roſ. Iam ſegnis omnes occupat vires ſopor
Et facile votis tempus adſpirat meis;
In dormientis tela ſtringamus caput.
Et dum quieſcit aureum Phœbi jubar,
Iuſſuque noctis omnium voces ſilent,
Defenſa tenebris terga mandemus fugæ.
Præcedo. tu me ſequere. *Hel.* Prô Deum fidem!

CHORVS.

QVo tam celeri concita greſſu
Roſimunda ruit? quo ſe rapient
Tam præcipitis monſtra furoris?
Vultus nimiâ flammeus irâ,
Scintillanti fulgurit oculo:
Et modo totum pallida corpus,
Et modo multo tincta rubore
Cuncta minaci pectore verſat;
Per diverſos acta colores
Nuſquam ſtabilis forma vagatur,
Et ſe ſpecies mutat in omnes.
Quid non audes animoſe dolor
Dum defuncti funera Patris
Filia toto concipit animo
Poſtquam miſeros præfica leſſus
Feſſa dolendi rupit, & omni
Exhauſta ſtupent lumina fletu:
Colligit ægro corde furorem,
Et creſcentes incitat iras,
Quæritque vias mille nocendi.
Non ſic valido ſaucia thyrſo
Et commotis excita ſacris
Rapitur pavidam Baccha per urbem
Non ſic catulis Tigris ademptis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Fremit, & toto corpore ſparſam
Centum maculis indicat iram.
Siquando ſemel fœmina dirum
Hauſit totâ mente furorem
Nunquam faciles effera pœnas,
Nec vulgares cogitat actus.

ACTVS IV.

Roſimunda, Helmiges, Nobilis, Satellites.

Roſ. Facinus peractum eſt. Ille totius pavor
Terrorq; mundi feminæ occiſus jacet.
Quæ jam parentis vindici tutum dabit
Locum latendi regio? Quo fugimus mei
Conſors facinoris Helmiges? ſeu qua ſacris
Tibiſcus undis alveum lentum trahit,
Et opima latæ regna Pannoniæ jacent,
Seu qua propinquum Gepida Carpatem videt,
Ubi ſceptra quondam Genitor infauſtâ tulit
Rapienda dextra. *Hel.* Neſcio quis aures ſonus.
Fugiamus, inſtant. *Nob.* Currite. Ah dirum nefas!
Properate celeres. Nullus effugio locus
Pateat ſceleſtis. Unus occluſas fores
Obſervet. Unus littora propinqui maris.
Tu qua Ravennam, Tuq; Pannoniæ viam
Præverte, Tu ſi Rhæticas Alpes petant,
Monteſve forte Noricos, Tu ſi Comum,
Tu ſi Tridentum. Currite. Infandum ſcelus
Non eat inultum. Nobiles pœnas dabunt.

NOBILIS.

Quicumque regno fidit, & falsâ boni
Deceptus umbrâ; purpuram & vanum nimis
Suſpirat oſtrum, neſcit is Regum vices,
Aulæque caſus. Cæca non unquam diu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Fortuna læto principes ſinu fovet:
Arbitrioque cuncta femineo movens,
Quos ſemel ad aſtra vexerat, rurſum premit,
Humana nullâ fata diſpenſans fide.
Hinc perſpicacis docta pictoris manus,
Finxit caducis labilem niti rotis,
Levique geminos excitans alâ pedes
Infame monſtrum lubricæ impoſuit pilæ,
Et univerſi fræna committens, prius
Aures & oculos abſtulit, ne vel preces
Lenire durum pectus, aut lachrimæ queant,
Hinc ſæpe ſurdas ante Fortunæ fores
Mendicat alta munia, aut fluxas opes
Demens Iuventa; cumque poſt multos dies
Suſcepta vota vanus eluſit labor;
Non audiendum flebilis leſſum ciet.
Hinc ſæpe Reges, ſæpe ſupremos Duces,
Quando jocari libuit, in ſcenam rapit;
Et acta refluis inſtar Euripi vadis
Quacumque volvit æſtus, inconſtans ruit:
Totumque Mundum perpeti gyro regens,
Nihil quietum ſtare, nil longum ſinit.
Sic quando vernus prata depingit viror,
Omnique pulchra ludit in campo Venus,
Et ubique nectar ſeminat; Coridon gregem
Ad læta ducit paſcua, & doctus levi
Animare flatu fiſtulam, veteres refert
Phillidos amores, donec inclinans parem
Binas ſecuerit Phœbus in partes diem:
Tunc inter herbas prandio quærit locum,
Et utriculari tibiâ invitat Deos;
Peràque promens caſeum, & ſeptem nuces,
Septemque panis uncias, & allij,
Lucanicæque fragmen, & parum meri,
Et quinque ficus, ruſticam menſam inſtruit,
At ſi puſillo paſſerem roſtro videt
Avehere micas panis, oblitus famem,
Nidumque certus quærere, volantem levi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et curſu & oculo ſequitur. Ah Coridon mane
Incaute Coridon! celere quo raperis pede?
Properaſſe pœnitebit; hâc viridi ferox
Anguis ſub herbâ noxiâ fœdum lue
Cubile poſuit, ecce jam vibrans caput
Immane tergum ſinuat; & multo trahens
Caudam veneno lividam, ſignat viam:
Diroque fætus ſanguine & tabo jubas
Crebrâ fugaces implicat ſpirâ pedes,
Tremulos per artus impio morſu furens,
Et invocantem ſero ſylveſtres Deos,
Et nota Dryadum ſacra compellit mori.
Miſerande Coridon! ſed quod hic ſpectrum? Deus!

VMBRA CVNIMVNDI, &
Vmbra Alboini

Cun. IAm ſic juvat periſſe jam dirum ſcyphum
Et tot cruenta vulnera, & truncum caput
Et ſi quod ultra crimen hoſtilis furor
In Cunimundum eſt auſus, admiſſum probo.
Cecidiſſe ſic me decuit, ut cæſo ſemel,
Tu te probares filiam dignam Patre
Roſimunda vindex. Laudo generoſam indolem,
Tantâque nil à ſtirpe degenerem manum.
Diſce Alboine, diſce, quid fuerit piam
Furiare Naram; diſce quid talem ſcyphum
Offerre patris vindici, parem tuo
Dignamque tanto ſcelere mercedem refers.
An neſciebas ſtulte, quod nullum Dij
Abire tutum crimen ultores ſinant?
Et dura Nemeſis, ſegnis in pœnas quidem,
Sed æqua, tandem ferream ſtringat manum,
Multoque plenam ſulphure & multa ſtyge,
In noxiorum capita non dubie pluat
An neſciebas iſta? cum vanæ nimis

Confiſus auræ tale patrabas ſcelus,
Oblivioſo nulla quod lethe vado
Abſterget unquam. nulla Styx merget ſatis.
Si vel perennem poma deſtituant famem,
Aut unda fugiens fervidam ludat ſitim.
Vel grande ſaxum languidum premat caput;
Si ferre jubeat æquus umbrarum arbiter,
Quodcumque Vatum doctus invenit furor,
Quodcumque Phlegeton igneo claudit ſinu,
Immane; dirum, triſte, deteſtabile;
Minora meritis præmia rependet tuis.
Nefande perge. Quidquid exactum eſt adhuc,
Natæ luiſti. Reliqua debentur Patri
Quæ te morantur altero foro reum.
At ecce prodit non ſatis conſtans ſibi
Et ſæpè celerans, ſæpe ſuſpendens gradum,
Immane quiddam ſpirat, & centum notis
Se prodit animi multa meditantis furor.
Sic quando totum Baccha concepit Deum
Omniſque ſenſus impotens hæſit parum,
Quo currere velit dubitat. Aſt gravi dein
Stimulata thyrſo, non ſatis ſuum regit
Impar furorem; venter impulſus tremit,
Anhelituſque creber, at fractus tamen
Pectus fatigat, igneo paſſim minax
Vagatur oculo, ſæpè marceſcunt genæ,
Et ſæpè pallent; mille per formas dolor
Immanis errat; fertur ambiguo pede
Quacunque Bacchi jura lymphatam trahunt,
Iam dubia ſiſtit, jamque vicini jugum
Sublime montis arduo ſaltu petit;
Et ſi quis olim pectus incendit dolor
Oblivione longa quem texit dies,
Iterum recurrit. Repetit antiquas memor
Animo querelas, preſſa vindictæ ſiti.
Et inſolentis miles effrenis Dei
Per ſaxa, & ignes impigro curſu ruit
Iurata nulli parcere, ac valido feram

Armata thyrſo dexteram, in cunctos ruit
Vireſque & iras colligens, donec ſatur
Tandem nocendi feſſus exſpiret furor.
Quid ille motus indicat? quaſſat caput.
Crebroque terras intuens, crebro polum,
Ardet, minatur, æſtuat, currit, gemit,
Molitur aliquid efferum. *Alb.* Teſtor deos
Et te ſceleſta! *Cun.* Grande meditatur malum,
Nec facile volvit crimen exundans furor.
Alb. Roſimunda! *Cun* Quid te concitas? *Alb.* Pœnas dabis.
Cun. Compeſce tantos impetus, ſerò furis.
Alb Natæ nefandæ genitor! *Cun.* & tamen piæ
Alb. Quæ conjugali juncta, vah tædet loqui.
Liber ire contra: lentus eſt nimis furor
Quicunque loquitur, languidas odi moras
Hactenus inultus. Quis mihi tradat faces?
Et adhuc rubentem ſanguine ſariſſam meo?
Cun. Quo pondus iſtud vergitur? Novi notas
Veteris furoris. Talis Hyrcana leo
Sub rupe recubans, hoſte conſpecto exilit,
Gravique terrens omne rugitu nemus,
Flavamque criſpans plurima ruga cutem,
Terram intuetur torvus, & jubam quatit,
Et ter quaterque tergus alcæa ferit,
Rabiemque revocans igneo vultu micat.
Nil machinatur humile tam magnus dolor.

CHORUS.

O Quàm levibus perfida plantis
Vertit celerem fortuna pilam!
Et quàm nullo vaga judicio
Lubrica Regum fata gubernat!
Non tam dubio volvitur æſtu,
Aut Euripi mobilis unda
Sibimet refluis obvia lymphis,
Aut incerti vada Mæandri,
Quamvis centum flexibus errent

Et

Et non ullâ lege vagentur,
Qualis tenero parvulus ore
Inflat vilis ſtramina cannæ,
Laticemque tenens ſmegmate mixtum
Bullam tremulis fingit in undis,
Quam vel minimo flamine ventus,
Vel momentum diſſipat horæ.
Qualis primi gaudia veris
Multo Zephyrus flore coronat.
Quem vel rigidus demetit Auſter,
Vel violentus Phœbus adurit.
Non jam cupidos paſcit ocellos;
Non nectareos halat odores;
Non in folijs fulgurat aurum;
Non inconſtans purpura ridet;
Non coccineos Flora capillos
Interfuſo corrigit oſtro;
Non cæruleis variat maculis;
Non formoſo dividit igne;
Enervato caudice marcens,
Terram toto corpore plangit.
Fruſtra multo fidimus auro;
Fruſtra fluidis credimus annis;
Fruſtra tumido tingimur oſtro;
Fruſtra volucri nitimur ævo;
Fruſtra tanto ſtudio vanam
Quærimus aulam. Neſcit ſtabili
Fortuna loco ſtulta morari;
Et quod noſtros digerit annos
Nunquam celeres contrahit alas
Labile tempus. Deſine magnam
Quicumque ſapis quærere ſortem,
Icarus alâ vectus in altum
Tumido finxit nomina ponto.
Et qui nimijs excidit auſis,
Iacet Eridani gurgite ſparſus
Miſeræ Climenes flebilis Infans
Feriunt altos fulmina montes.

Maxima frangunt robora venti.
Regum penetrant atria curæ.
Vivite læti, qui nec dubiæ
Sortis alumni, nec curarum
Compede nexi; ſpernitis alto
Pectore, quicquid nimis ambiguo
Fortuna levis jure coercet,

ACTVS V.

Longinus, Senex.

Long QVid anime tandem ſtatuis? hinc amor trahit:
Nimiumque dulci pectus exercēs face
Ad ſceptra pronum penitus affectum rapit.
Et quidquid Adria, quidquid ingenti ſinu
Tyrrhenus ambit, faſcibus totum meis
Promittit. Hinc jurata non ſinit fides;
Et dira cœli fulmina, & juſtos nimis
Perjuriorum vindices pavens Deos
Suſpendit animum, nec quid audendum liquet:
Amor timori pugnat, & amori timor,
Sic quando patrio tutus in portu ſedet
Nauclerus, omnes repetit oceani metus,
Et multa dubitat; hinc potens auri ſitis
Invitat animum; pavidus hinc pugnat timor
Et nota pelagi monſtra, & infidum mare
Opponit oculis, hîc duas ſyrtes notat
Quas ſæpè leviter æſtus accedens tegit
Certam ruinam ratibus; hinc ſurgit minax
In aſtra ſcopulus naufrago infamis vado,
Hîc æſtuanti pontus Euripo furit,
Fluctuque pavidas terret incerto rates.
Hinc aliqua rauco Scylla latratu tonat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nulliſque tutum navibus torquet caput,
Ibi quando totum vertit à fundo fretum
Iratus Eurus, per procelloſum mare
Horrenda cete tergore immani micant:
Ventoque fluctus nare quem plenâ vomunt
Queis unda parcit, brevibus illidunt rates.
Illic Charybdis ſævit, & vaſti cavis
Incluſus antris mugit oceani fragor.
Quid faciat amens? fidat incerto mari?
Certum eſt periclum. Deſidem vitam trahat?
Tantumque patrio lentus aſſideat foco?
Mortemque quam vitabat inſtantem brevi
Iners moretur? vilis eſt animi nimis
Timere mortem; gaudet adverſis premi
Infracta virtus, & nihil metuens ſibi
Molitur alta ſemper herous vigor.
Sic urbis olim primus æternæ ſator
Mavorte dignus patre, poſt avi necem
Ad ſceptra fratre ſtravit occiſo viam.
Sic magnus etiam Cæſar, inſuetus parem
Tolerare quemquam, victor è Belgis redux.
Romam in triumphum duxit, & fauſto alite
Totius orbis ſolus imperium tulit.
Fortuna timidos ſpernit, audaces juvat.
Quid anime dubitas! Vana ſuccumbat fides,
Perjuriique ſtultus exſpiret timor.
Tantum meretur purpura, & tantum decor
Formæ beatæ. Quiſquis ad Regni notas
Deliberato firmus affectu ruit,
Non ulla trepidat ſcelera, non ipſum Iovem
Quamvis rubentem fulmine armarit manum,
Et inſolentes ultor à tergo premat.
Si totus atros increpet nimbos polus,
Altumque tonitru pectus infeſto petat:
Si totus orbis militem cogat ſuum,
Et totus Acheron juret unius necem;
Perimere forſan poterit, immotus tamen
Reſtabit animus nullius fati reus,

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Quid anime fruſtra metuis ? & Deûm graves
Meditaris iras? turpis excedat timor,
Et vile pectus aliquod è plebe occupans
Quos vanus olim invenit, obſervet Deos.
Sen. Longine tutum quid tibi ſtatum invides,
Regniq; dubias quæris injuſti notas?
Quid ſceptra facient? quid tibi regni dabit
Inane nomen? cetera Exarchus potes.
Long. Ut ergo lateam ſemper? & quondam meum
Commilitonem lixa dominantem ſequar?
Sen. Gum te coronet largus Auguſti favor.
Præſtat ſequi quam perſequi. *Long* Hoc Narſes ſuo
Damno probavit. Non ſatis tutò favent
Vnquam potentes. Qualis inconſtans fluit
Brevis aura veris, ſæpe ventorum rea,
Et ſæpè pluviæ, talis eſt aulæ favor,
Regale nulla limen ingreditur fides,
Quam multa ſuſpicatur æternus timor,
Quam multa trepidat! Nil amicitiæ valet
Sociale nomen: quos prius nexu pari
Sincerus animus junxit, & teſtis Deus,
Vt ſic libido fuerit, ad necem trahit,
Qui prævenire fata non audet ſua;
Vult præveniri. *Sen*. Militem nullum times?
Long Quem procul ab Italis Tauricâ feſſum nive,
Longoque belli tædio Parthus premit?
Sen, Stultum eſt fugacis ſchemate eluſum boni
Tentare memorem Regis irati manum.
Long. Stultum eſt timere quando tam pronā meis
Fortuna facilis auſibus ſternit viam.
Sen: Quicumque dubiæ credit inſanus Deæ
Tumidâque raptum dexterâ ſceptrum gerit,
Hunc triſtis aliquo Nemeſis offendet loco,
Pœnæque tradet debitum noxæ caput,
Long. Quicumque cœli monſtra, vel mundi timet
Imbellis arma, lateat, & vulgi reus,
Diadema nunquam capite tam vili gerat,
Sen, Iniqua nunquam regna durabunt diu,

Long. Teſtetur illud Roma, qua Mundum ſib!
Subiecit iſtâ nitor ad regnum via.
Hen. Siccine receſſit? quam nimis dirè furit
Quicumque ſanæ mentis arbitrio carens,
Ad alta cæco regna conatu ruit
Sic quando primo vere ſolvuntur nives,
Venator audax dextera venabulum
Lævaque pedicas portat; ex humeris fluit
Cornuque & arcus habilis, & forti canes
Loro ligatos ducit, ac nudo pede
Ne forte fractum calceis lignum crepet,
Et ante tempus luſtra dimittant feræ,
Scrutatur omnes nemoris horrendi ſpecus,
Cæcaſque latebras, & per ignotas vias
Vaſtoſque ſaltus currit impavido gradu,
Et ubique cautas belluis tendit plagis;
At ſi Lyciſca dum procul lento ſuem
Odore ſenſit, fervidis latratibus
Monuit ſequentem, protinus venabulo
Generoſus inſtat, & licet totam induit
Irata rabiem bellua, & culmos quatit,
Omneſque vaſti corporis setæ rigent,
Et dens minace ſævus in ſpuma natat,
Crebroque flatu ſpiritus prodit ſuam
Violentus iram, nec ſatis tanti capax
Doloris, altum frendit immanis furor;
Nihil movetur pertinax, quem nec mali
Nec mortis ullus terret intrepidum metus,
Cuicumque regno pectus afflatum furit,
Quamvis periclum videat; haud credit tamen,
Et ſi quod eſſe credat, haudquaquam timet.

Roſimunda, Helmiges, Vmbra Alboini

Roſ. EGone laterem? nata tam magno patre?
Qui tam ſuperbi nuper imperij potens
Subeſſe vidit faſcibus totum ſuis
Quidquid Tibiſcus, quidquid *Euxînum* mare,

Et

Et Scythicus Iſter algido claudit ſinu?
Quicumque vitam regiam, & luxum ſemel
Guſtavit aulæ, ſero deponit ſua
Diadema fronte, ſero regalem domum
Et alta linquit atria. Haud facile tenax
Dediſcit animus regere, qui rexit diu.
Sic mollis olim viola crudeli nimis
Percuſſa nimbo, triſte ſubmittit caput,
Humumque plangens luget amiſſum decus
Inter minora gramina, & viles agri
Suppreſſa fætus; nullus aut fragrans odor
Aut fulgor auri languidas veſtit comas;
Sed multus ægris humor iu folijs natat.
At dum ſerenus diſcutit nimbum polus,
Totoque mundo liberum fundit jubar
Phœbæa lampas illa formoſum caput
Excludit iterum, gramine indignans tegi,
Multâque flammâ purpuram tingit ſuam,
Ac inter herbas aureo vultu micat,
Nequit latere, quiſquis immutabili
Iuſſu Deorum natus ad regnum fuit.
Quocumque dubios Fata mortales agunt,
Si ſponte non ſequantur, invitos trahunt,
Qualis ſonante turbinem loro puer
Et huc & illuc verſat, inconſtans velut
Suggeſſit ardor; talis hunc Mundum Deus,
Quacumque nutat animus, ambiguum rotat.
Sed quò ſceleſta rapior? Indignum nimis
Meditaris anime facinus. Excedat furor,
Vivat Parentis Helmiges vindex mei.
Egone Deos perjura tot periculis
Olim probatam ſtulta violabo fidem?
Teſtor Deorum numen, & ſanctos mei
Manes Parentis, teque qui ſacrâ face
Mundo ſerenum Phœbe diſpenſas diem,
Lateque fuſi ſpatia percurrens poli
Secreta ſemper cordis humani vides,
Regnare non vult animus; invitum tamen

Aulæ

Aulæ voluptas cogit, & pellax amor,
Nec ſat reſiſtit. Anime quid tandem jubes?
Quid fluctuaris? Helmiges pereat meus.
Meus? peribit? nullius culpæ reus
Hoc vindicati præmium Patris feret?
Abſcede rabies; Helmiges vivat meus.
Quid anime dubitas? ſentio incertum mihi
Trepidare pectus, nec quid audendum ſatis
Ambigua video; parcere inſonti Deus,
Et æqua pietas mandat, & tori fides:
Prohibet volentem dira regnandi ſitis,
Totamque mentem furiat. Excedat pudor,
Et vana pietas. Helmiges pereat meus,
Liceat mariti ſceptra mercari nece.
Per ſcelera regnum petere, non ullum eſt ſcelus,
Lethale Ptyados virus, & ſputum bibat,
Vitamque totus exuat. Quis hic meis
Occurrit oculis? Helmiges? Rurſum timor
Diviſit animum, Neſcio. Audendum eſt tamen,
Succumbe pietas Conjugem video meum?
Dilecte conjux, unde te reducem boni
Superi remittunt? plena num ſpirat ſalus?
Hel Neſcio, *Roſ*. Quid illud? Tene deliciū meum?
Prohibete Superi. Tene vel ſubitus dolor?
Ah anime quo jam raperis? aut morbus premit?
Hel. Cohibe timorem, nulla morborum lues,
Ægerve ſanum corpus incendit dolor:
Sed triſte pavidam ſomnium mentem quatit.
Roſimunda! *Roſ*, Conjux. *Hel*, Non adhuc ſatis
Occiſus Alboinus. Effuſus tui (jacet
Cruor mariti, ſanguinem tuum exigit,
Meumque vindex. *Roſ*, Quid mihi nugas refers,
Vanique ſtulta ſomnij ludibria?
Hel. Vidi minantem, *Roſ*. Scilicet. *Hel* Vidi tamen
Roſ. Quid ergo? vivum vincis, occiſum times?
Ridenda narras, roboris tanti virum
Pudeat timere debilis ſpectri minas.
Hel, Utinam! ſed heu me! preſſit arentem ſitis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Adfer Lyæum. Magna pernicies adeſt,
Quam triſtis animus conſcio prodit metu.
Roſimunda timeo, melior abſtergat Deus.
Si fortè vanus fallat errantem timor.
E heu! quid iſtud? ſentio inſolitam luem
Serpere per artus, ſtomachus incenſus furit,
Ardetque totum felle jam tacto jecur.
Scelerata! *Roſ.* Conjux, *Hel.* Coniugē appellas tuū
Quem ſæva perimis? *Roſ.* Ah Deus! quis te furor?
Hel. Crudelis! *Roſ.* Egone? parce. *Hel.* Non ſolus cadam;
Quæcumque diro reſtat in ſcypho lues,
Tibi bibenda reſtat. Incaſſum gemis,
Fruſtraque torto toxicum collo abnuis:
En tibi cruore conjugis tinctum tui
Ferale telum, ni bibas, ſtrictum vides.
Eheu! quis ille contrahit venas rigor?
Abominanda perge *Roſ.* Per tori fidem.
Hel. Fœdifraga! *Roſ.* Conjux. *Hel.* Impudens!
Roſ. Teſtor Deos.
Hel Quæ jam duorum conjugum ſicco necem
Tueris oculo. Quis mihi tantus fibras
Exurit ardor? mortis inſtantis comes
Gelidos per artus ſudor expreſſus fluit,
Omniſque venis cedit exhauſtis cruor;
Et imminente membra palleſcunt nece;
Maculiſque varijs lividam tingens cutem,
Hauſti veneni tetra ſe prodit lues.
Infanda nondū moreris? *Roſ.* Heu! *Hel.* Totum bibe,
Superata tabe vita granſſanti fugit,
Caligat oculus, languidum nutat caput,
Et feſſa vincit membra lethalis ſopor.
Heu morior! *Roſ.* Eheu! quam nimis fragili loco
Fortuna tumidos ſtare lapſuros jubet!
Heu miſera! Quæ me fumidam vibrans facem
Irata terret Umbra? quod ſpectrum mihi
Hauſto veneno majus intentat malum?
Heu morior; ægras deſerit fibras calor,

Vix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Vix imbecille palpitat pectus; vale
Longine, Morior. *Alb.* Conjugem agnoſcis tuum
Scelerata? *Roſ.* Morior duplicis pœnæ reas,
O æqua Nemeſis! juſtus eſt furor tuus.

FINIS.

IACOBI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

JACOBI ZEVECOTII

Silvæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Nobiliſſimo & Clariſſimo Viro,

DANIELI HEINSIO.

D. Marci Equiti, Sueciæ & Hollandiæ Hiſtoriagrapho, Profeſſori Politices, Cognato Suo.

ACcipe ſcripta tuus tibi quæ Zevecotius offert
Heinſiade generis fama decuſq; tui.
Hic tibi pro folijs producent carmina ſilva
Quæ poterunt oculos paſcere fortè tuos.
Hic tibi pro varijs fruticum ſpeciebus & herbis,
Invenies vario ſcripta ligata pede.
At ſi forte tuis, ut erunt, indigna Camœnis.
Et videas animo non placitura tuo;
Ah cave ne teneros perimat tua ſpõgia verſus
Aut mea difficili carmina fronte legas.
Adſpice diverſo variatas germine ſilvas;
Silvarum varij conditione ſumus,
Quæ tibi ſilva roſas, urticas ſilva miniſtrat,
Multaq; graminibus ſunt mala mixta bonis.
Nos quoque non uno facimus dum carmine ſilvam,
Quid vetat urticis jungere poſſe roſas?
Ipſe quidem ſi ſtella mihi minus atra fuiſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Quæ fuit in cunas imperioſa meas:
Ad tua majores animans præconia Muſas,
Efferrem tumido teq; tuosq; ſtylo.
At modò dum prohibent, ſine quêis nil poſ-
ſumus, aſtra,
Quæ tibi ſcripta damus qualiacumque le-
ge.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Miſeria Sæculi

ERgone ſemper inſcios poëtaſtros,
Scientiæque filios abortivos,
Mancipia ſervitutis, ac onagrorum
Pullos inultus patiar? & nihil contra
Audentis otioſa ſtet comis laurus;
Sat diù doluimus iſta; ſat diū mentis.
Quam non honorum, vel profanus argenti
Amor ſubegit, neſciam coerceri
Vel indecora ſervitute, vel cura
Meæque libertatis immemor vixi.
Pudet, pudet tuliſſe tam diu vappas,
Hypocritatum præſides palæſtritas:
Abominandi qui domi, foris ſancti,
Catonianâ fronte, duplici lingua,
Ficta ſeveritate; languido greſſu
Potentiorum ſemper obſident aulas,
Si forte ſummos faſcinent Megiſtanes,
Opeſque & illos in ſuos trahant caſſes,
Mutare docti precibus inverecundis,
Verbiſque tinctis melle, ſed venenato,
Infima ſupremis, & rotunda quadratis.
O cæca mens humana quæ tot indignas
Pro veritate quæris & colis nugas!
Quodcumque vivum matre naſcitur terra,
Subeſſe vitijs cernit & dolet Titan.
Sed iſta toti conſtituta lex Mundo
Infamiore plurimos nota dam nat,
Quos vel Planeta, vel noverca Natura,
Vel dira conſuetudo detinet vinctos,
Suoque nil ſublimius luto mandat
Audere, vitæ proletarios cives.
Hinc tot probroſa per libidinum monſtra,
Speciesque cunctas criminum vagabundi

Ipſis

Ipſis pudendam beſtijs agunt vitam:
Stygemque, & æquas Ditis inferi leges
Et excubantes ante tartarum larvas,
Hominesque prima morte non mori totos.
Sed ſera functis jura Manibus reddi;
Aut deviantis eſſe pectoris ſenſa,
Aut otiose fabulam putant fictam
Vt lachrimantes cauta poſſet infantes
Placare nutrix, ac inanibus monſtris
Terrere mentes veritatis ignaras.
Hinc quidquid impudentiæ ſibi fingit
Audax voluptas; ſit licet polo & terræ
Abominandum, peſtilens. inauditum,
Effeminati perpetrant, repertores
Obſcænitarum. turpitudinis patres.
Et Pædagogi criminis Gomorrhæi
Solique ventri luxuique devoti
Ipſis cloacis peſtilentius fætent,
Anhelituque ſordido, venenato
Cælum, ſolumque polluunt & infernum;
Nec ante culpis terminum ſuis ponunt
Quam dum furentis (quem negant inexperti)
Probant Iehovæ ſentiuntque vindictam.
Alios jacentis tardus ingeni motus.
Inerſque torpor eſſe non ſinit doctos,
Caſtriſque cogit exulare Phœbæis.
Hi quos beatos altius vident ferri
Supra profanas plebis inſciæ ſordes
Æternitati debitos, poli cives,
Obganniendo poſſe deprimi ſperant:
Aculeoſque & ingenî ſui vires,
Oleumque & operam diſſipant, canis ſicut
Qui nil timenti ſtultus oblatrat Lunæ.
Et ſeu fugacem Sol ſequatur Auroram
Quæ dormientem provocavit e lecto;
Seu tardiores Heſperus citet ſtellas
Cum queis cubantis ſervat atrium Phœbi;
Nunquam quieti, perpetes alunt curas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et impudente cuncta permeant naſo,
Inſtarque tineæ nulla ſcripta non rodunt,
Ipſoſque tutos eſſe non ſinunt verſus
Quos excitatus igneæ vigor mentis.
Non inquinandos fœce grammatiſtarum,
Atque Criticorum ſcommatis cinædorum,
Æternitati tradidit celebrandos.
Sed ipſa culpant commata, & notant puncta;
Et typographorum litterarias mendas;
Quas ſi reperiant, arrogantiæ pleni
Ne non meminerint poſtulant pugillares:
Et aſteriſcis quinque, vel plicaturis,
Obeliſque totidem, litteriſque funeſtis
Pretium futuri prandij ſui ſignant:
Ac otioſo ventre, ſtoico vultu,
Heteroclitâque fronte per forum totum,
Et per popinas forniceſque diſquirunt
Momos, vel alios ſatrapas aſellorum,
Quales miſellus plurimos habet mundus,
Interque ſummos ſuſpicit ſenatores;
A queis ſuis convitijs emunt menſam.
Loquaciores tunc vel ære Dodones
Rudunt, coaxant, grunniunt, cachinnantur.
Vt provocaſſe Palladem putes porcum:
Digitoque frontem ſæpe, ſæpius lævam
Manum fatigant, dentibuſque corroſos
Populantur ungues, ſicut in ſcholis Noſtri
Solent Magiſtri diſputare, ſi quando
Arcana folia proferunt Sybillarum,
Aut quæſtionem vix ſolubilem tractant.
Et penitus omnes impudente cenſurâ
Damnant labores principum Poëtarum,
Ipſamque cunctis civitatibus pelli
Vellent Poëſim, ceu nimis aſinis mollem
Ad dura tantum jura verberum natis;
Minuſque gratam beſtijs, quibus donat
Natura propriam muſicam, negans illam
Quâ ſola gens humana diſſipat curas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Probroſa terræ monſtra, fæda damnati
Portenta ſecli, quêis trabes ſatis multas
Nunquam parabit tota turba lictorum:
Vos qui nefando divites peculatu
Spolitatis urbes, ſaccularij ſcurræ,
Laverniones publici, archiprædones;
Vos ſanguiſugæ pauperum, meri fures,
Spurij ſophiſtæ, apoſtatæque virtutis
Damnatis iſta ſtudia queis ſuam debent
Famam Monarchæ? ſola quæ vetant vates,
Et quos Poëta nobili beat verſu,
Subeſſe Morti; quæ rogis triumphatis
Poſt fata nobis alteram dabant vitam,
Ingenſque nomen. Quando vos balatrones
Muto jacebitis abditi ſepulcreto,
Patibulove traditi, ſtriges tantum,
Aveſque carne nutrietis obſcænas,
Titulíſque nullis laudibuſque famoſi:
Veſterque multæ ſpiritus reus noxæ
Trahetur ad tribunal inferi Ditis;
Vbi mille teſtis furta prodet Alecto,
Inopumque plena lachrimis feret vaſa
Quos vos ſceleſtæ devoratis harpyiæ.
Et non ferendam cogitis ad egeſtatem,
Quin & clientes, paupereſque neglectos,
Viduaſque quarum vos cruore nutritis
Exponet ultrix, exigetque tormenta
Cœlo, ſoloque, & inferis inaudita
Nullis vel annis terminanda vel ſeclis,
Neque minuenda. Creſcet inſolens pœna
Quamdiu diurnam Phœbus adferet lucem,
Fratrique tollet æmulam facem Phœbe,
Pergite ſceleſti, pergite hâc Deas lege
Damnare noſtras, quæque vos manent pœnas
Tortor priuſquam funibus gulam frangat,
Vel enſe ſtricto prævenite, vel reſte,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Ad Gerardum.
Ab
HOECLUM

QUid me fatigas nobilis Hoeckelum
 Ut læva ſcribam fata Velaviæ
 Belgiſque non ſemel probatam
 Heſperij rabiem Tyranni?
Quid vis Marano tradita mœnia?
Quid infideles ut referam viros,
 Nummoſque mittendos ad hoſtem
 Exitium Patriæ minantem?
Ah iſta tandem monſtra repellite
Queis vita cordi eſt & Patriæ ſalus;
 Et ſervitutis candidatos
 Non domitis prohibete terris.
Cur hic fruatur aëre libero
Quicumqne favit perfidus hoſtibus?
 Cur ſit beatus, quiſquis aurum
 Contulit in Patriæ ruinam?
Cur ſi tributis publica res eget
Non proditorum viſitat areas?
 Opeſque Regi deſtinatæ
 Non populum recreant dolentem?
Nec eſt profecto quod faciles nimis
Clementiæ vos nomine paſcitis:
 Socordiam velo ſub iſto
 Sæpe Viri reperere ſummi.
Qui ſcorpiones nutrit in ædibus
Ullone clemens jure vocabitur?
 Lupoque ſi fortaſſe parcat,
 Quis fatuum Lycidam negabit?
Sed iſta ſat ſint. Victa Veſalia
Poema mandat ſiſtere lugubre,

Duciſque Silva Roma Belgi
  Auriaco ſuperata Marte.
Attolle criſtas magna Batavia
Attolle mater tam celebris Ducis
  Qui perpetravit id quod olim
  Innumeri populi ſtupebunt.
Tentata crebro Marte ſed irrito
Tandem triumphans mœnia poſſidet.
  Et plura jam parat Tyrannis
  Tot ſcelerum generoſus ultor.
Plus tendet Ultra. Quid facies dein
Ferox inertes cum reperis Viros
  O Ferdinande ? quis ſüaſit
  Paciferam poſuiſſe larvam ?
An credidiſti nobile Belgium
Effeminatos gignere milites,
  Lingua Gigantes, corde Nanos,
  Pro Patria timidos perire ?
Tales ad Albim quærere ſi libet,
Non invidebo. Qui didicit mori
  Servire neſcit. Hoc alumna
  A pueris docuit Batavum ;
Qui quidquid haurit lactis ab ubere
Vellet Tyranni ſanguine dilui :
  Et nolle ferre ſervitutem
  A teneris meditatur annis,
Si quis volucri deneget aerem,
Et ſalſa cunctis piſcibus æquora,
  Servire Belgas poſſe ſperet.
  Non Cuculis patet iſta tellus.
Quid ſubjugatæ fata Bohemiæ,
Centumque jactas nomina gentium
  Cruente Cæſar ? terreantur
  Ridiculo pueri tumultu.
Si forte curvis viderit unguibus
Diri miniſtrum fulminis alitem
  Ter mille ſcindentem columbas
  Nil vigilem movet hoc Leonem.

Sumus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Sumus Batavi. Senſit Iberia
Invicta dudum pectora. Sol quoque
  Vbique Belgarum trophæa
  Adveniens fugienſque cernit.
Tam parva terræ portio, maximis
Neſcit Monarchis ſubjuga cedere;
  Et univerſi pœne Regem
  Quotidie trahit in triumphum.
Quem totus orbis aut colit aut timet;
Timere Belgas cogitur & pati:
  Quos pace, bello, & proditorum
  Non potuit ſuperare technis.
Da ſumme Mundum qui regis Arbiter
Tam magna noſtris pectora Poſteris
  Vt ſemper invicti cruento
  Excutiant diadema Regi.

In Obitum.

PETRI COLONII

QUiſquis hunc tumulum ſtupes Viator
Tot ſpargi lachrimis ab Eruditis,
Si dotes bene noveris ſepulti
Finem repperies tuo ſtupori,
Et junges lachrimas tuas ad illas,
Hic jacet Batavæ decus juventæ,
Artium modo nobilis Magiſter
Hic jacet miſeri dolor Parentis
Diro mortiferæ furore peſtis
Pubeſcentibus interemptus annis,
Cui ſuos Genitor vovens honores
Jucundam tibi pollicens ſenectam,
Falſo ſe dolet excidiſſe voto,
Et cum jam thalamos ei pararet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Viſurus lepidos brevi Nepotes,
Caſu tam miſero repente fractus
Mæſtum pro thalamis parat ſepulchrum
Nec ſperat lepidos dein Nepotes.
E heu quam dubio movetur æſtu
Humanæ ſeries caduca ſortis!
Dum magis Superos putas favere
Nunquam non aliquos parant dolores.
Si fortuna tuis amica votis
Pellaci tibi blandiatur aurâ,
Tunc demum tragicas vices verere
Tunc nunquam ſtabilem time favorem.
Eheu quis Iuveni putaſſet illi
Donis ingenij, ſcientijſque
Et virtutibus, artibuſque claro
Fili tam fragilis fuiſſe vitam?
Certum eſt ſcilicet optimis minantur,
Et vitam meritis negant iniquæ
Pejores ſolitæ fovere Parcæ.
Ergo dum tumulum vides Viator
Tot ſpargi lachrimis ab Eruditis,
In fletus oculos reſolve totos,
Ut jungas lachrimas tuas ad illas.

IN CINNAM.

DUm curioſo cuncta permeat naſo,
Nihilque diro dente linquit intactum
Cinœdus ille Cinna, ſed velut blatta
Inſtarue tineæ cuncta ſcripta perrodit;
Ignoſce quiſquis Zoili ſemel priſci,
Veteriſque Momi vile nomen audiſti.
Nam qualis olim Roma monſtra produxit,
Aut Graia tellus, quando fronde felici
Romana tantum & Græca capita cingebat
Phæbæa laurus, Belgiique non norat

Vates

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Vates Apollo, talis illa magnorum
Mater virorum protulit nouum Momum
Infame probrum ſæculi ſui Cinnam,
Romaque Græciaque doctior Ganda.

In Nativitatem.

DOMINI REDEMPTORIS

Ergo tandem tot Parentum
Expetite lachrimis
Dulcis Infans, lœta Patris
Deſeris palatia.
Dumque terras arctiore
Bruma nectit vinculo,
Tam decorus, tam tenellus
Nulla curas frigora?
Ecce caſta Mater omni
Pulſa diverſorio
Cogitur cubile mutæ
Mutuare beſtiæ.
Heu cubile mille rimis,
Mille ventis pervium.
Ecce nix obtexit hortos,
Nulla vernant gramina,
Nulla Flora Veſtit agros,
Nulla rident germina.
Tuque Patris ſempiterni,
Sempiternus Filius,
Nos ut omnes Inferorum
Eximas tyrannidi,
Nec nivoſæ tela brumæ,
Nec times præſepium.
Muſa Pindi quæ virentes
Ambulans per hortulos
Aureum bibis liquorem
Ex fluento Pegaſi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Quem Poëtis inde fundis
  Ad ſtruenda carmina:
Necte noſtri Muſa Chriſti
  Necte ſertum vertici;
Ex ſmaragdis, ſardiiſque,
  Ceteriſque gemmulis,
Ex roſiſque, liliiſque
  Ceteriſque floſculis,
Dum supernæ rector aulæ
  Cujus ore facta ſunt,
Quicquid aſtra, quicquid orbis,
  Quicquid unda continet,
Pelle veſtit ſe caducâ;
  Deque Matre naſcitur,
Qui Parente ſempiterno
  Abſque Matre natus eſt.
Necte ſertum tam beatis
  Necte ſertum crinibus,
Dum creatur, qui creavit,
  Quique finxit, fingitur,
Dum cubili beſtiarum
  In bovis præſepio
Illi clauſus deliteſcit,
  Qui nec orbe clauditur.
Obſtupeſcunt quotquot alta
  Aſtra ſervant Angeli,
Tam potentem, tam caducâ
  Poſſe naſci Virgine,
Tam capacem, tam minuto
  Velle claudi ſchemate.
Necte noſtri Muſa Chriſti
  Necte ſertum vertici.
Tuque ſummi nate Patris
  Integræque Virginis,
Qui Creator hujus orbis
  Et Redemptor diceris,
Quo jubente cuncta vivunt,
  Quo jubente concidunt;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Siſte Mundo quæ minantur
  Præparata fulmina,
Sive bellum, ſive peſtis
  Sint, vel eſuritio,
Spirituſque, quem nocentem
  Abluiſti ſanguine.
Poſt peractæ penſa vitæ
  Vivat inter Cælites.
Vt meoque recreeris
  Semper hoſpes pectore,
Gemmuliſque, lilijſque
  Sparge cordis lectulum
Nam libenter paſcis inter
  Puritatis floſculos,
Abſque patre natus infans,
  De parente Virgine.
Necte noſtri Muſa Chriſti
  Necte ſertum vertici.

Ad Martinum Snouckaert, Toparcham in Somergem.

ILluſtris Heros, cujus ad præconia
  Nec Phœbus ipſe ſufficit;
Quem ſingularis mille dotes ingeni,
  Et prodigus cœli favor,
Veterumque ſupra exempla, & imbecillium
  Captum locant mortalium.
O ſi liceret voce majore eloqui,
  Encomia tibi debita,
Quæ nulla non loquetur, & ſciet dies,
  Et nulla non mirabitur.
Multos profecto mors avara poſſidet,
  Quorum tenebræ deſides,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Pejuſque tenebris impium ſilentium,
Sciri prohibuit nomina.
Sed cujus aſtro melior arridet Deus,
Et quem Camœnæ diligunt;
Famæque gloriæque ſecurus ſuæ
Nec jura mortis, nec feras
Obliviosi temporis leges timet.
Beatus ergo es, maximos
Quem Flandra tellus inter Heroas colit;
Nam nulla proſcribet dies
Quos æqua titulos Fama decrevit tibi,
Sed noſcet illos Heſperus,
Noſcetque quiſquis Sole ab Eoo calet
Dum longa current ſecula.

In Sycophantam genere & moribus infamem.

TAndem ergo, tandem detrahis tibi larvam,
Et abominandas pectoris tui fraudes
Palam revelas impudens, inurbane?
Tam delideſque Zevecotio credis
Favere Muſas, liceat ut tibi gratis
Non eſſe gratum? teſtor ætheris Numen
Nondum peracta eſt fabula; & mihi partes
Reſtant agendæ: ſenties quid offenſus
Poſſit Poëta. Iam tibi diem dico,
Famæque coram provoco tribunali.
Ingrate nequam, tune nuper abjecti
Fex ſola populi, cujus aut piper mater,
Aut vile tantum vendidit pater ſmegma;
Extemporalis nobilis, velut fungus
Quem nigra tellus unicâ parit nocte
Sic inſoleſcis? ó pudor! quid audebunt
Domini, ſuperbus iſta ſi facit palpo?
Hos uxor animos, dignitaſve, vel currus,

Aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Aut quod ſupremi præſidem Magiſtratus·
Olim futurum te ſpopondit impoſtor,
Horoſcoporum fabricator infamis?
Erras aſelle, Simius licet multo
Ornetur auro, ſimius manet ſemper.
Memento quod ſis pulvis & lutum, & cænum;
Num te latere credis & tuum patrem,
Generiſque pæne ſtercorarias ſordes?
Percurre titulos & domeſticas ceras,
Tuæque claros pande ſtirpis heroes.
Quot inter illos vendidere candelas,
Vel ſulphurata ? quot foro fatigati
Ceſſere ? quot poſt pauculos dies cedent?
Nec liber eſſes ipſe, ni tibi conjunx'
Et quod tacendum eſt, publicos daret nummos·
Sed ſi ſit æquus criminum Deus vindex
Non blandietur ſemper iſta fortuna.
Opes malorum, dignitaſque , quantumvis
Fortaſſe durent, non tamen perennabunt.
Et ſi perennent, quid dabunt opes illi
Quem ſcelera lentis anxium premunt curis·
Læſæque tortor conſcientiæ vermis ?
Quem fama noſtris juſſa verſibus ſemper
Contemnet, et fuiſſe dicet ingratum.
Hoc nempe voluit Vatibus ſuis Phœbus
Licere, cunctas ſemper ut per ætates
Merentium damnanda vel celebranda
Vbique ſpargant nomina, ut ſupra leges
Oblivionis poſita, neſciant mortem.

Mihi vivere Chriſtus eſt.

SE vel veſtiat auro,
  Vel tinctâ tragico murice purpurâ
Et venetur honores
  Quem vanâ nimium ludit imagine
Fellax gloria mudi.
  Obſcenam foveat molliculo ſinu

Mæcham turpis adulter,
  Et toto ſtolidus gutture Cypridos
Potet dulce venenum,
  Quod damnata dein non ſatiabili
Rodet viſcera morſu.
  Me longe ſtimulans nobilior ſitis
Ad vitalia Chriſti
  Fortunæ ſaturum vulnera provocat.
Illic immemor auri,
  Et mundi dubijs caſibus altior:
Dio nectare potus,
  Spernam letifero noxia toxico
Vafræ pocula Circes,
  Et viles ſiliquas, queis ſterilis ſuos
Mundus paſcit alumnos.
  Illic continuo dum fruar otio,
Securaque quiete,
  Me nullum pavidâ crimen imagine
Perturbare, nec ulla
  Inceſtis poterit Cypris amoribus.
Illic victor ovabo,
  Et cunctis gradiar fortior hoſtibus:
Et ſi quando ſevero
  Deducens hominum ſtamina pollice,
Concludat breve vitæ
  Optatâ ſpatium Parca coronide,
Nullo nubila luctu
  Fatalis feriet non trepidum dies.
Tunc non ulla ſequetur
  Funus flebilibus præfica nænijs,
Et non ulla beatos
  Manes excipient mœſta celeumata,
Sed me vulnera Chriſti
  Victurum ſuperis ſedibus inſerent.

In mortem Franciſci patris,

CErtum eſt, perimus; nempe nil durabile,
Nihilque longum Mundus infelix habet,
Mirare tectum gramine virenti ſolum,
Sed ſi rigente ſæviat ventus nive,
Nimiuſve campos Solis exurat calor,
Nullo deinceps gramine vireſcit ſolum.
Mirare flores verna quos parit dies.
Dum lenis aura ſpiritu molli fovet,
Non impeditas explicant læti comas:
Sed ſi ſubortus turbo, vel flatu invido
Crudelis auſter caudicem tenerum abſcidit
Non erigendum denuò inclinant caput,
Sinuntque fluere folia. Sic mundus perit,
Suoque quidquid I una ſub cœlo videt
Mortalitatis jure damnatum ſibi
Subiecit Atropos. Forma, nobilitas, opes,
Et ſi quid aliud Mundus in ſummo locat,
Inane parui temporis ludibrium,
Durare neſcit; obviumque propriæ
Fertur ruinæ, Sola virtus permanet,
Iunonioque nititur in altum gradu,
Nullius unqum ſortis aut fati rea
Hæc te ſupernis Cœlitum junxit choris
Beate genitor; quæque tibi fuit comes
Conceſſa fatis hora dum fluxit tuis,
Carnis ſolutum vinculis cœlo dedit,
Hanc nempe legem dixit hûic orbi Deus
Vt terra terram repetat, & animus ſacro
Chriſti redemptus ſanguine aſcendat polum,

AD N. B. N

QVando terrarum prohibetur umbrâ
Luna ſe viſo reparare Phœbo,

Induens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Induens pullos habitus negatum
Luget honorem,
Quiſquis umbroſo ſtolidam juventam
Conſecrat mundo, nimis ille denſis
Horret infelix tenebris, egenſque
Luminis errat.
Tu ſupra ſortem populi vocatus
Solis æterni jubar intueris,
Altior Mundi tenebris, & omni
Altior umbrâ.
Perge jò conſtans, animoque magno
Diſce pellacis malefida luxus
Gaudia, & fluxos pereuntis orbis
Spernere luſus,
Ludat infelix; nihil eſt in iſtis
Luſibus tutum; trahit illa longam.
Heu nimis longam! cito finienda
Fabula caudam.
Quid fugax orbi tribuet voluptas
Cum Deus iuſtâ ſtimulatus irâ
Exiget pœnas, tragicoque claudet
Omnia fine?
Scilicet qui jam Nemeſin morantem
Spernit incautus Nemeſin probabit,
Et graves inter tenebras furentis
Sentiet iram.
Sorte tu contrà meliore vives
Inter æterni Genios Olympi,
Et tuum nullam patietur unquam
Sidus Eclipſim.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Ad

HENRICUM ESSENIUM

Cum Conſul Hardervici crearetur.

Muſa quæ Pindi ſpatians per hortos
Aureâ felix ſatiaris unda,
Quam mihi quondam memini profuſam
Sæpe fuiſſe;

Dum novo rurſus ſtimulor calore,
Quaſque credebam penitus ſepultas
Pectus exercent vehementiore
Impete flammæ?

Carmen optanti geniale dicta,
Sed quod Eſſeni mereatur aures,
Quodque ſit, quamvis lyricum, recenti
Conſule dignum.

Non tamen magni titulos Parentis,
Nec mihi laudes Patrui recenſe
Qui mihi tanquam Pater exulanti
Contigit eſſe.

Quis queat verbis etenim referre
Cuncta quæ geſſit bene quando Gallum
Miſſus ad Regem Patriæ diſerto
Profuit ore?

Qualis orantis memoratur olim
Tullij vultum celebraſſe Roma,
Talis Eſſeni faciem loquentis
Gallia vidit.

Maximus Regum ſtupuit nihilque
Belgio noſtro facilis negavit
Tractus haud franci modo, ſed Sicambri
Herculis ore,

Unde rellictos repetens Batavos
Commodis Belgi ſtuduit, ſtudetque.
Hunc mihi longum precor omnibuſque
Soſpitet Æther

Tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Tu tui greſſus Patrui ſecutus
Non iners cultor Themidos fuiſti,
Quæ tibi Francas Italaſque ſûaſit
Viſere terras.

Unde te Divi reducem dederunt
Patriæ, cujus columen futurus
Accipis frenos, geminaque fulges
Sorte beatus.

Perge felici generoſe Marte
Perge ſupremos titulos mereri.
Quos tibi exoptat geniale carmen
Vatis amici.

FINIS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

JACOBI ZEVECOTII

Epigrammata.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Ampliſſimo ac Senatorio Viro

D. CORNELIO van DORP
Urbi leydenſi à concilijs.

Uti Et

Reverendo ac Doctiſſimo Viro

D. AMBROSIO THEVNEMANS
Divini Verbi apud VVaremondanos
Præconi

Avunculis Suis

QVæ mihi dictarunt epigrammata paucula Muſæ
Sub veſtro volui nomine luce frui.
Vt quoq; Poſteritas ſi fors mea carmina vivant
Veſtram non dubitet hoc meruiſſe fidem.
Hanc mea, cum vobis eſſet concredita quondã
Senſit, et hanc mecũ jam quoq; nupta probat
Hinc non immemores fore nos ſperamus uterq;
Vltima dum claudat lumina feſſa dies.

Liber

Liber primus

1

Ad Lectorem

SI quis in hoc libro dubitas te forte notari,
Ac ulcus quereris me tetigiſſe tuum.
Erras, non tetigi, quid enim mea tangeret ulcus
Muſa, procul ſemper quæ ſanioſa fugit?

2

In Melibæum.

IUraſti Melibæe meo quod carmine tergum
Mandabis: neſcis ergo ſubeſſe piper?

3

Ad Tityrum.

DEiphobus gaudet prolem de conjuge natam,
Sed cujum pecus hoc Alphæſibae putas?

4

In Cinnam.

OB barbam noli nimium tibi Cinna placere.
Hanc, præter capras, beſtia multa fovet

5

In Lælium.

OMnia qui jactas te Læli poſſe videre.
Cur non uxoris cernis adulterium?

6

In Pamphilum.

ESſe cupis notus? potes innoteſcere ſigno
Inſculpet dorſo quod mea Muſa tuo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

7.

In Cottam.

NOn ego ſcurram ne proteſtere vocabo;
Sed ſcurram in ſpeculo Cotta videre ſoles.

8.

In Caßiodorum.

DEnte lupus, viſu canis es, porcuſque nitore
Quis tuus eſt horum Caſſiodore pater?

9.

De ædibus D. Conſiliarij Hacfort.

QUam ſuperimpoſitis cernis ſplendere figuris,
Ruſſemij quondam regia celſa fuit.
ReſtItVIt prIſCo ſpLendorI nobILIs HaCfort
ArnheMII CVpIens ContInVare deCVs.

10.

Etitaphium duorum fratrum ſimul & nato-
rum & mortuorum.

VNa domus fuerat vivis, eſt una ſepultis:
Lux parit una duos; lux necat una duos.

11.

Ad Erneſtum Brinck Coſ.

CUm meus Arnhemiũ nuper properaret Iſacus,
Quam ventoſa fuit, quam pluvioſa dies!
Scilicet ægra ſuum doluit diſcedere Phæbum
Harderovicenæ Muſa patrona ſcholæ.
At modo nec venti reduci nocuere, nec imbres,
Si cauſam quæris Brinckie, læta Dea eſt.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

12.

Ad I. Amarca Abimelechum tragœdiam edentem.

ABimelechi crimen, & Manes Jether.
Et quidquid ille gemuit admiſſum lapis
Qui ſic dolendum ſanguinem invitus bibit;
Quod tam ſuperbo carmine, & gravi ſtylo,
Animarus æſtro Marca Phœbæo tonas,
Inane ſupra vulgus, aſinorum genus,
Momi nepotes, Zoilo dignos patre,
Æternitatis vivet inſculptum libro.

13.

In Petronium.

CRedimus hiſtorico, forſan quia publica tractat,
Ut plenam ſcribis lex jubet eſſe fidem,
Exemplo ſcribæ, falſum nil ſcribe Petroni,
Ne lex te falſi judicet eſſe reum,

14.

De quodam Sabaudiæ nummo.

JUſtitiam mandat cur certa moneta Sabaudis?
Hîc quia juſtitiam ſola moneta facit,

15.

Ad Iſſam.

PLuma tibi ſupra caput eſt, & ſub pede ſuber,
Cæleſtemque tuus te vocat Iſſa procus,
At leve cum cœlum, ſuberque, & pluma ſit, an non
Clarius & melius diceret eſſe levem?

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

16.

In Cinnam.

IRe pedes non erubuit cum ditior eſſet,
Pauperior rhedâ vult modo Cinna vehi:
Scilicet è fundis, prope quos prodegit, avitis,
Dum pedibus non vult ire, trahetur equis.

17.

Ad Phyſicum.

SIdera magna doces multis quiá millibus abſunt;
Sed venit è longis fabula multa plagis.

18.

In Aſclepium.

DUm timet Aſclepii blattas tineaſque Camœna,
Carminibus junxit multa venena ſuis.

19.

Ad Rochum Honartium.

QUam tua defunctam producunt carmina
Rediviva tanto ſpiritu haud ſciet mori.

20.

De Grunno

QUi dignus non eſt Bavio præſtare matellam
Vatem ſe jactat Grunnus, & eſſe putat.

21.

De Mopſo.

MIratur, relegit, jactat ſua carmina Mopſus;
Sic amat & fœtus ſimia fœda ſuos.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

22.

De Iure.

SI bene dicatur ; jus ſummum injuria ſumma ;
Quiſquis erit ſummè juſtus, iniquus erit.

23.

De Batto.

MEntis ad arbitrium qui fecerat omnia Battus,
Vt vitæ ſimilis norma neciſque foret.
Iam ſuſpendendus teſtatus Numina dixit
Non alio perimi ſe veluiſſe modo.

24.

In Amurcam.

QUæ dixit decies, decies repetivit Amurca ;
Et me deinde interrogat an audiverim.
An non inſanit ? videor mihi tempore tanto
Tam multa feſſus audiens , factus ſenex.

25.

Ad Ripellum.

STultus habebaris cum te fortuna premebat ,
Doctrinæque fuit mentio nulla tuæ ,
Iam dives , ſubito ſapiens doctuſque videris ?
Cum ſetis aſini chryſolithumne geris ?

26.

De Cinna.

FIcoſus ſubito periit cur funere Cinna ?
Fætentem timuit Parca tenere colum.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

27

Ad Pauſilypum.

P*Auſilypi colles, & candida Mergillina*
Vos ego, vos udis deſero luminibus,
Aſt ſi fata meas ſequerentur ferrea leges.
Hac agerem felix, hac tumularer humo.

28

De Scarabæis.

PLurimus heſperijs cur eſt ſcarabæus in oris?
Tam multos aſinos nullibi terra parit.

29

De Victoria Hollandorum in Occident. India,

VIcit ad occiduos Batavus dum navigat Indos
Omnibus à ſanctis quæ loca nomen habent:
Quid modò ſperet Iber ſanctos qui perdidit omnes,
Auxilio quorum bella movere ſolet?

30

Ad Iberum ad Occid. Indias navigantem.

TEndis ad occaſum Batavos ut pellere poſſis;
Res ſed ad occaſum tendit Ibere tua.

31

Honos & onus.

ADſpiratur honos ſed non onus; optat honorem
Quilibet, ingratum non amat ullus onus,

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

32.

In Poliphemum.

Dæmona, ne noceat, nec enim juvat, Indus adorat:
Sic ego ne noceas te Polipheme colo.

33.

De filio Negræ.

EX omnibus quod nundinis, cunctis foris,
Natus redierit jactat & gaudet Negra.
Sed quæ nequivit tot locis venundari
Profecto merx valere non multum poteſt.

34.

De Maburra.

CAuſidicus nuper, nunc eſt Maburra ſenator
Qui nunc eſt aſinus, nuper aſellus erat.

35.

De Hiſtoria & Pöeſi.

REcta fides eſt hiſtoriæ, ſed clauda pöeſi,
Attamen hæc pedibus nititur, illa caret.

36.

In Cinnam.

CUr quoties mecum plateas percurris & agros
Non niſi vis dextrum claudere Cinna latus?
An quia communi quod ſcis tibi nomine jungi
Arcadicum à dextris ducit agaſo pecus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

37.

De Baſiliſco.

DEterior reliquis rex es Baſiliſce : quid obſtat
A dominante regi deteriore bonos ?

38.

In Marianum.

TE furem populus, furem putat eſſe Senatus :
Tu contra furem te Mariane negas.
Quidquid id eſt, homines non lædo libẽter honeſtos
Sed diu Pariſijs te ſtuduiſſe ſcio.

39.

Vanitas.

QUiſque ſuos inter primus vult eſſe, recuſat
Quiſque ſuæ primus nobilis eſſe domus.

40.

In Sabaudum.

DIligis externos teſtante Sabaude monetâ,
Hos burſâ vacuâ ſed finis ire leves.

41.

In Nævium.

NIl ego dum chiragrâ Nævi podagraque laboras
De generis dubito nobilitate tui.

42.

In Melam.

DUm Mela virgineo nimis inſidiaris honori,
Dî tibi dent furcæ virginis eſſe virum.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

43.

In Nævolum.

CLauda cũi manus eſt, cui pes, cui mens quoq;
Illene patronus Nævole rectus erit? (clauda;

44.

De Aula.

SI ſit nobilior qui ſe docet eſſe priorem,
Atque ſuum reliquis priſcius eſſe genus,
Iure potent aſinis canibuſq; palatia Regum
Adamo citius quos liquet eſſe ſatos.

45.

Ad Pirrhum.

CUr ſi ſemper agant in ſe contraria Pirrhe,
In gelidam vetulam non agit ignis amor?

46.

De Aulo.

SArtor heri fuerat qui nunc eſt nobilis Aulus,
Unica ſic fungos nox generare ſolet.

47.

De Bibliotheca Iani Rutgerſij.

MUſarum thalamus, divinæ Pallados aula,
Deliciæ Domini bibliotheca tui:
Quo ſatis attonitus potero te dicere verſu,
Dum nil Belgiacus par tibi mundus habet?
Majores alius, libris ſed jactet egentes.
Tu minor, at nullo codice dives eges.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

48.

In Birrum.

DE levitate tuâ dum narras plurima Birre,
Et cunctos ſaltu te ſuperare refers,
Nemo licet credat, credam te dicere verum,
Si levis in furcam Birre ſalire velis.

49.

In Criſpum.

Exilio bipedes vis ut plectantur aſelli:
Iſtorum in numero primus es, exul abi.

50.

In Parium.

EBrius eſt nuper Pardus ſubmerſus, aſellus
Qui terreſtris erat, piſcis aſellus erit.

51.

De Riſu.

Ridere eſt hominis proprium, ſic noſcitur amens
Anne igitur propriè deſipit omnis homo?

52.

Ad Commodum.

QUid Commode tuo gratularis agnato,
Quod ſit ſupremi facta pars Magiſtratus?
Ah ingemiſce potius, & vices ejus
Brevi futuras forſan aut time aut luge.
Pleriſq; namq; quos ad alta dignatur
Sors promovere, præter unicum tactum
Nihil relinquit ſenſuum, omnium oblitis.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

53.

In Corydonem.

CUm nihil in noſtris te ſit vitioſius oris
Quid jactas notæ nobilitatis avos?
Quid prodeſt claudo recte inceſſiſſe parentem?
Degener es Corydon, nobilis eſſe nequis.

54.

De Lachrimis Magdalenæ.

MAgdala dum triſti vitiorum compede vincta
Solvendam Domini te jacis ante pedes,
Dumq; tui defles ſuſpenſi fata Magiſtri
Anxia deſertis in tumuli foribus.
Quam dulces fundis lachrimas, quam nobile flumẽ
Naſcitur ex oculi divite fonte tui!
Pactolus tali ſe vellet origine naſci,
Vellet & auriferi nobilis unda Tagi:
Illi etenim ſolum volvunt ſub fluctibus aurum,
At fluit ex oculis plurima gemma tuis.

55.

De Pluvijs in morte Principis Auriaci.

MIraris tantus cur cœlo decidat imber.
Et fluat in medijs Belgicus orbis aquis?
Principis Auriaci dum non ſat funera Belgæ
Materie lachrimas exſuperante dolent,
Ipſe ſuis mæſtus pluviis ſuccurrit Olimpus,
Unaq; cauſa homines tangit, & una Deos.

56.

De Momo.

MOmo longa placent, etiã mihi longa placerent
Si facta è Momo litera longa foret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

57.

De Pamphilo.

PAmphilus ægrotat quartanâ febre, quis unquam
Audijt Arcadicum febricitaſſe pecus ?

58.

In Ollam.

FAllere quo poſſis etiam perjuria ſuades,
Cogis & invitum criminis eſſe reum.
Res tibi ſucceſſit, reus indemnatus abivit.
Victoremne ideo te tamen eſſe putas ?
Erras Olla, erras : reſtat cœleſte tribunal.
Interea, cujus relligionis homo es ?

59.

In Polidorum.

NArratur quidam dum ſumit prandia piſcem
De Patris interitu conſuluiſſe ſui.
Si Polidore tui dubites de funere Patris,
Non poterunt piſces dicere, dicet avis

60.

In Momum.

QUæ tu dura vocas utinam ſint ferrea Mome,
Et frangant dentes carmina noſtra tuos.

61.

De pluviis in exſequiis Everardi Vorſtii medici.

CUr quæ ſuda fuit, pluit aura in funere Vorſtî?
Naturæ & Leidæ triſtia damna gemit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

62.

Ad Amicum.

COnnubium quod ſit felix, ſi quæris Amice;
Eſt ubi cor ſemper fæmina virque caput.

63.

Ad Iberum.

QUid tibi fatales veſano milite Bergas
Et male cincta ſemel mænia cingis Iber?
Vi nihil efficies; ſatis hoc te Parma docebit:
Nec miſeram trepidat urbs opulenta famem.
Non vinum, non panis abeſt, non cetera; tantum
Helleborum nullum quod tibi mittat habet.

64.

UNa proboſque maloſq; parit ſtirps ſæpius; una
Sic radix ſpinas gignit, & una roſas.

65.

Ad Maxemilianum Vrientium de funeribus ab eo conſcriptis.

PLurima quæ quondam ſcripſiſti funera Vrienti
Mandaſti fruſtra poſt tua fata legi:
Neſcio cujuſnam fraus ſit culpanda; ſed opto
Alterius decoret ne tua pluma caput.

66.

De Pamphilo.

PEſtiferas ingreſſus erat fur Pamphilus ædes
In vacuâ nullum credulus eſſe domo.
Mors bona dum ſervat capientem callida cepit:
Et tumulum juſſit carceris eſſe loco.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

67.

De non ſimulato Amore.

QUam legit eois dives Nabathæus in undis
  Pulchra peregrino gemma colore placet.
Quæ regit immenſum violentis legibus orbem
  Pulchra micat lydis aurea vena vadis.
Dulce nitent violæ primi dum tempore veris
  Pulchræ formoſas explicuere comas.
Quæ nimiis mundum prohibent horrere tenebris,
  Pulchra ſub obſcurâ ſidera nocte micant.
Solque renaſcentis princeps & cauſa diei
  Pulchrum lucifero vibrat ab ore jubar,
Et roſa quæ nares pergrato paſcit odore
  Pulchra Dionæo ſanguine tincta rubet.
At ſincerus amor præfulget pulchrior omni
  Gemmâ, auro, violà, ſidere, ſole, roſâ.

68.

In Cottam.

PAtrono magno dum mendax Cotta ſuperbis,
  Cretenſis crepidam quis vetet eſſe Iovis?

69.

De Malcho.

CUr tam quietus deſidet domi Malchus
Quem cœna ſanum heſterna vidit & plenum?
Iterumne Græco preſſus eſt miſer morbo?
Non; nec podagrâ læditur, nec anginâ,
Cephalæa nulla, non chiragra, non aſthma
Nec dentium ſtuporve vel dolor vexat.
Quid ergo Malchum vexat? eſt ſaburratus.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

70.

De Codro.

Codrus habet podagram, vel habetur Codrus ab illâ,
Vivat, & hâc longum dote beatus ovet.

71.

De Expeditione Flandricâ.

Ach CaVe fataLes NaſſoVI InVadere fLandros,
SI GUpIs HIſpanos VInCere, VInCe MarI.

72.

In Grunnum.

O Felix partus! niſi natus Grunne fuiſſes
Ardelio noſtrâ nullus in urbe foret.

73.

De Gallo.

Audivit Gallus quæ nunquam dicta fuerunt;
Auriculas illi quis putet eſſe breves?

74.

In Cæcilium.

Eſt quidam cujus genitor nil debita præter
Reliquit, ipſe dives eſt.
Creditur is Momo quamvis ſit ſcurra favere
Honeſtiores ſpernere.
Nec miror, ſimilem ſimili gaudere notamus,
Mulumque mulum lambere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

75.

In Grunnum.

CVm te aſinum nuper belliſſime Grunne vocarem
Iratum mihi te jure fuiſſe ſcio.
Erravi; fateor: cicurem te Grunne putavi,
Sis onager donec deſinis eſſe ferus.

76.

In Flaccum.

DVm tibi munus emis tam crebro munere Flacce,
Nullo te dignum munere flacce probas.

77.

In Zoilum.

OMnibus, & vere, notum te Zoile jactas,
Pluribus acceptum te quoque jure refers:
Acceptus ſcurris, mendacibus, & paraſitis,
Vt ſocius ſociis gratior eſſe ſolet.
Notus es Ordinibus, notus quoque Zoile plebi;
Numus ut ignotus non ſolet eſſe malus.

78.

Ad Rochum Honartium.

MAgne Heros, quem nota fides doctrinaque juſſit,
Clarum inter Patriæ nomen habere Patres,
Accipe vernantes quæ me docuere Camænæ
Carmina, ſub ſignis vivere juſſa tuis.
Inceſtum gemit hic Auguſtum Græca Maria
Legitimam thalami non tenuiſſe fidem.
Exhauſtoque ſcelus punit Roſimunda veneno,
Conjugis exitio bis rea facta ſui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Quæ licet haud æquent generoſæ nomina Thamar
 Munere quæ vivit non moritura tuo:
Si famulas tamen eſſe ſinis; nomenque, decuſque
 Debebunt Dominæ poſt ſua fata ſuæ.

79.

Nux, aſinus, campana, piger.

NVx, aſinus, campana, piger, ſi verbera ceſſent,
 Hic cubat, illa ſilet, hic ſtat, & illa manet.
Nux, aſinus, campana, piger, ſi verbera cogant,
 Hic ſtudet, illa ſonat, hic it, & illa cadit.

80.

Ad Petrum Cunæum.

QVi titulos Cunæe tuos, & cælica ſperat,
 Mortali demens dona referre ſtylo;
Conſcendens vetitum velut Icarus alter Olimpum,
 Se ſubmerſuris nomina debet aquis.

81.

Ad Erneſtum Brinckium In albo illius ſcriptum.

GEneroſe Brincki; quid meum tuo nomen
Vis ſcribi in albo? quod manu tot Heroum
Vbique fulget? Non volo reluctari
Iſtud petenti, junge dexteram dextræ;
Scandamus ambo candidæ rotas famæ;
Et non ſinamus ulla ſecla neſcire
Iunctos fuiſſe nos amore, non ficto,
Sed candido, ſupraque vulgus erecto,
Nec inquinando fraude ſycophantarum.

82.

De pulice aureâ cathenulâ vincto.

CEde dein Vulcane, licet tua vincula Cypris
 Ingemuit toti mæcha probata polo.

Fallere ſi noſtros poſſint tua vincula viſus ;
Fallitur his fallens lumina noſtra pulex.

83.

In Libros de Contemtu mortis Danielis Heinſii.

HEinſius antiquæ qui dudum nomina Romæ
Vicit, & Heroes Græcia priſca tuos ;
Vt probet æternam nunquam ſibi deſore famam.
Contemtæ ſtatuit hæc monumenta necis.

84.

In Zoilum.

PEſtis es, hinc fruſtra formidas Zoile peſtem;
Peſtis enim peſti nulla nocere ſolet.

85.

De Mævio.

MÆvius è ſanâ nuper qui fugerat urbe,
Peſtiferâ rediit hanc populante lue.
Proſpera ſic odit, ſequiturque cadavera corvus,
Gaudet & in triſti noctua dira domo.

86.

In Alaudam.

VIrgo cupis dici quamvis ſis mater Alauda
Anti-Maria dein ſed mihi ſemper eris.

87.

De Olo.

NOndum pendet Olus quare? ne qui gravis eſt jã
Toti urbi, furcæ ſit nimis ille gravis.

88.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

88.

In Magiſtrum.

VVlt ſapiens dici convitia mille Magiſter
Dum vomit, & cynico dogmata jure probat:
Quam fuit hæc paucis olim ſapientia doctis
Cognita, quâ ſtultus plus ſapiente ſapit!

89.

In Nævolum.

DVm pluit exultant onagri, varioque fatentur
Lætitiam geſtu; ſole micante dolent.
Te quoque quis ſtupidos inter non ponat onagros,
Lætaris bello Nævole, pace gemis.

90.

In Cottam.

DIcebam furem; furem te Cotta negabas,
De trabe jam pendes. hoc quoq; Cotta nega.

91.

In Verrem.

DEbita virtuti retines tibi præmia Verres,
Aut cum complicibus dividis illa tuis.
Fingeris interea Patriæque boniſque favere,
Sic qui non perimit Latro favere ſolet.

92.

In obitum filiolæ meæ.

ATratus mea vita brevi te tempore luxi:
Luctus at incluſus corde perennis erit.

93.

Epitaphium Petri Cunæi.

NEmo dein Leydæ Themidê vel Pallada quærat,
Hâc cum Cunæo mors tumulavit humo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

94.

Ad Avitum.

QUæris cur egeat, & vix ſibi par ſit alendæ
Patria funeſtis undiq; preſſa malis ?
Cum tamen immanem deut vectigalia cenſum,
Subq; tributorum pondere cuncta gemant?
Harpyiæ nimium multæ graſſantur, & ære
Communi Patriæ ſeq; ſuoſq; beant.
Sic illas rapuiſſe ferunt quoq; fercula quondam,
Phineaq; ingenti pœne necaſſe fame :
Donec eas tandem Calais Zetheſq; fugarunt.
Has modo quis Zethes quis Calaisve fuget?

95.

De Pictura Canis.

NOn niſi picta vides quamvis mihi membra latrarem
A pictore mihi ſi data lingua foret

96.

De Eadem.

NOn tantum ſum picta canis, mihi crede, figura:
Latratus pœnam pendo miſella mei.
Hoc etenim dominæ vetitus concumbere Pictor.
In tabula hâc juſſit ut modo muta cubem.

97.

Ex Græco Nicarchi.

SÆpe parit mortem crepitus detentus in alvo:
Sæpeq; dat vitam ſi modo liber eat.
Si penes eſt crepitum vitæq; neciſq; poteſtas,
Non eſt ſupremis Regibus ille minor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

98.

In Attonem.

CUm tam deformis, tam ſit tibi lurida forma,
A ſpeculo & vitreis fontibus Atto fuge.
Narciſſus perijt, cum ſe ſpectaſſet, amore.
Si ſpectes, odio tu moriere tui.

99.

De Caluo Patrono.

PIctura Calvi grande quippiam loqui
Videtur, & defendere clientes ſuos.
At Calvus ipſe mutus in foro ſedet.
Pictura Calvi pro patrono eſt ſcilicet,
Et Calvus eſt imago picturæ ſuæ,

100.

Ad Paulum.

EXue ſpem mortis ſimul exue Paule timorem.
Ante tibi nunquam vita beata fiuet.

Liber Secundus.

I.

Ad IACOBUM CATZ I. C.

cum Hollandiæ Syndicus crearetur.

QUi majore ſtupes ornari lumine mundum,
Et magis illuſtrem quam prius ire diem.
Occiduum Pavij ſidus, Catziq; renaſcens
Adſpice, de gemino ſidere lumen habes,

De

2.

De Raris Erneſti Brincky.

QVi cupis immenſi miracula cernere Mundi,
Quæq; vel occaſus, quæq; vel ortus habet.
Non procul hinc poſitas opus eſt te viſere gentes,
Sive tuas Ganges, ſeu magis Inde tuas.
Adſpice vicinas, habitat quas Brinckius, ædes
Nomine quæ tanti nobilitantur heri.
Hic quidquid, vel mittit Arabs, vel China, vel Ormus
Pluraq; quæ noſtris ſunt male nota plagis
Invenies, Dominumq; ſimul quem Geldrica tellus
Inter Magnates gaudet habere ſuos.
Qui res naturâ mutas, jubet eſſe loquaces,
Quæq; procul fuerant ante, propinqua facit.

3.

De Grunno.

VT ſanitati morbus, utque tempeſtas
Tranquillitati, noxque candidæ luci
Succedit, & prudentiæ furor demens,
Sic Scævolæ ſucceſſit impudens Grunnus.

4.

In Grunnum.

CVm miſeros fruſtra libros ſe ſcribere Grunnus
Et clauſas famæ cerneret eſſe fores:
Mordaci cepit me clam proſcindere linguâ
Carminibus poſſet notus ut eſſe meis.
In me nulla mora eſt, nolo tibi Grunne deeſſe,
Fama Dii tribuant, ſurgat ut inde tibi.

5.

In Eundem.

TErra ſuum genitrix Grunnũ genitura, profudit
Semi-virumq; ſuem, ſemiſuemq; virum.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

6.

In Ollam.

OLla doles aſinum quod te mea Muſa vocarit,
Tene aures nimium credis habere breves?

7.

In Cinnam.

VIlis erat tibi Cinna pater, te vulgus adorat;
Nobilior gallo ſic ſolet eſſe capo.

8.

De Grunno.

NOviſſe ſi quis expetat meum Grunnum;
Sciat fovere pædagogicam barbam,
Ventremq; circumferre ſycophantarum,
Longumq; naſum nullius rudem fumi,
Calumnijſque mille deditas aures,
Queis jungit alias mille perfidus nequam.
Veſtes gerit deinde non agaſonum,
Aut queis probare Patriam ſuum poſſit.
Sed mille guttis hinc & inde diſtinctas
Vt quod fit, ægre quis ſciat, pecus Grunnus
Bibaculum, famelicum, vel utrumque,
Talem dediſtis Zoilum mihi Divi?

9.

In Criſpum.

INgratum memini nuper me Criſpe vocaſti;
Quo quæſo jure furcifer?
An quia ſæpe meam conatus lædere famam,
Confutus ex mendacijs,
Inſidias nondum jugulo ſcelerate paraſti?
Ago gratias tibi latro.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

10.

Ad Davum.

MVltum tuo vicario Getæ debes
Cornute Dave, namq; nuper in ſilva
Ductavit ille conjugem tuam errantem:

11.

De Criſpo.

VErſiculos ſcribit, mirandaque carmina Criſpus
Et ſe Parnaſſum jam ſuperaſſe putat.
Vrticas tanto viridi pro Daphnide Vati,
Aut aſini caudam quærite Pierides.

12.

De ſpeculo Ollæ.

O Ollæ ſpeculum nimis venuſtum
In quo quotidie videtur illi
Mendax ardelio, ſceleſtiorem
Quo nemo videt aut videbit unquam,
Cunctarum licet integrum per orbem
Scrofarum velit annotare partus
Qui pluſquam decies decem thraſones
Ac ſcurras totidem atque ſycophantas,
Togâ colligat & tegit ſub unâ.

13.

De Grunni carminibus.

DVm nihil in toto Venerisq; ſaliſque libello eſt,
Quis dulce & caſtum carmen id eſſe neget?

14.

De Priſco.

REſpondes aliud, aliud dum Priſce rogaris,
Et vis prudentis nomen habere viri.

Sis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Sis prudens, ſis non prudens, nil curo. Sed iſte,
Stultorum in Patriâ mos ſolet eſſe mea.

15.

De Grunno.

NVper Meliſſum vidit ebrium, nec ſe
Vnquam fuiſſe jactat ebrium Grunnus.
Nec miror iſtud; ebrios viros ſæpe
Vidit videtque quilibet; aſinos nunquam.

16.

De eodem.

POſt nonũ peperit menſem tria carmina Grunnus,
Natorum merito jus petit inde trium.

17.

In Pætum.

DVm prope cum cunctis male me committere tentas,
Quid non mentiris Pæte ſceleſte mihi?

18.

In Grunnum.

TE tua Grunne parens aſinũ peperiſſet; at aures
Dum nequijt longas fingere, fictus homo es.

19.

In Glaucum.

ET capite & pedibus dum mendax Glauce laboras,
Non eget officio noſtra Camæna tuo.

20.

De Pamphilo.

STertit Pamphilus undecim per horas,
Poſt octo legit, induitve proles;

Duabus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Una tunc comedit; bibit duabus,
Aut ſugit potius Necotianam.
Vultu poſtea ſtoico per omnem
Duabus reliquis vagatur urbem :
Vt vel egregios viros maligno
Dente mordeat, abditeque lædat,
Vel ſcurras roget, infimoſque vulgi
Et non diſſimiles ſibi ſodales
Quidquid quotidie novi patratur.
Non quadrans ſupereſt deoſculandæ
Vxori teneræ, nec insüavi,
Quæ prolem tamen exhibet quotannis.
Num forſan Zephyro fit illa prægnans?

21.

In Varum.

NEc capite ſano fertur eſſe nec mente,
Qui me ſceleſta Varus impius lingua
Vbique quærit. Quærat: aſt Iovem juro
Si me repererit non abibit inſanus.

22.

De Vxore Tuccæ.

VXorem Tuccæ juſtam quis deneget eſſe?
Tres ſuculas quæ protulit ſimiles patri.

23.

De Grunno.

QVæ mala fama meas ſubito pervenit ad aures?
Iratus Grunnus dicitur eſſe mihi.
Diraque multa meo capiti Muſiſque minari,
Non viſo Plauti miles ut hoſte facit.
Grunne cave miles poſt tergum comicus eſſe,
Præſentemque dein & ſine fraude pete:
Aut qui te, moreſque tuos jam carmine ridet,
Præſentis feriet, & ſine fraude caput.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

24.

Ad Antonium Deuſingium Medicinæ Doctorem.

QVamvis ſis tota Deuſingi gratus in Vrbe:
Opto ſit ut tecum res mihi nulla tamen.

25.

Ad Erneſtum Brinckium.

GEneroſe Brincki, Patriæ tuæ grande
Columen, decuſque: quem meæ ſemel muſæ
(Obliviosſas ſi tamen queant ipſæ
Vitare leges ultimæ ſepulturæ)
Aeternitati, quam mereris, adſcribent,
Ni ſit moleſtum, nec negotium majus
Ad alia forſan avocet tuas curas:
Illius uſum Gallici peto libri
Qui regna tractat univerſa quæ ſcimus.
Simulque ſummas gratias tibi dico
Pro delicatis, quos remitto, Paſquillis.

26.

Ad Criſpum.

ESſe bonum te Criſpe putas; aſt optimus ille eſt
Diſſimilem penitus quem tibi vita facit.

27.

De Grunno.

BArbatos vidiſſe negat ſe Grunnus aſellos:
An nunquam ſpeculum conſulit ergo ſuum?

28.

Clepſydra.

LAbilis ille cinis vitæ qui dividit horas
Nos probat haud ulla poſſe quiete frui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

29.

Epitaphium Codri.

AVritiſſimus omnium gnathonum
Sub furcâ Codrus hac jacet ſepultus.
Quiſquis hac properas cave viator,
Aut lac aut violas ei miniſtres,
Vrticas aſini requirit umbra.

30.

De Lucio Apuleio.

LVcius in miſerum quondam mutatus aſellum
Multa tulit, brutis ſors quia triſtis erat.
Felices modo ſunt, varijſque in partibus orbis
Summa tenent aſini, Nunc Apuleie redi.

31.

De Publicis Officijs.

GRande gerunt pondus qui publica munia curāt:
Hinc aſinis tradi talia ſæpe puto.

32.

De Medicis.

SI medici flerent quos perdunt, fletibus aucta
Diluvio terras perderet unda novo.

33.

De Catillo.

QViſquis in hoc populo vilem putat eſſe Catillū
Audiat, huic rarum diſcat & eſſe genus.
Excelſum tribuit tumulum Reſpublica Patri;
Vrbe fere tota quo comitatus ijt.
Nec genitrix famoſa minus, quæ nata bubulco
Nobilium ſtupris nobilitata fuit.

34.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

34.

De Maburra.

ELoquio quod me ſuperet Maburra ſuperbit,
Nec doleo, nam vis tinnit inane magis.

35.

In Pætum.

MEndaces cur Pœte vocas vanoſque poetas
Queis debes titulos tu tamen ipſe tuos?
An quia te falſis dum multi laudibus ornant
Nemo, quod es, ſtupidum te pecus eſſe refert?

36.

In Polydorum.

PRivatus veteri nuper Polidorus honore,
Quod faceret doluit nil ſupereſſe ſibi.
Senſit, & invaſit ſcabies miſerata dolentem,
Quod ſemper faciat jam ſcabioſus habet.

37.

In Momum.

ERrat Mome levem qui te putat eſſe, queruntur
Namque ſibi cuncti te nimis eſſe gravem.

38.

De Cinna.

QVis crediďiſſet? deprehenſus eſt Cinna
Captuſque, vitians conjugem Marathonis.
Qualem eſſe Cinnam judicas? nimis tardum.

39.

De Orca.

NObilis eſt atavis, tritavis quoque nobilis Orca,
Sed non eſt proprio nobilis Orca patre.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

40.

De Agaſone.

ILluſtres à ſe natos relliquit agaſo:
Sic aſini mulos progenerare ſolent.

41.

In Afram.

AFra ſalutaret cum te Burgundio nuper
Se dignum officio credidit eſſe pari:
Tu pede non moto tantum caput inclinaſti.
Is mos mularum eſt, ſi ſapis, adde pedes.

42.

Ad Ægonem.

SI quæris Aegon, cur Meliſſus & Varo
Calumnijs convitijſque Pamphili
Centum petiti, nil adhuc reſpondeant,
Hanc eſſe cauſam ſcito, ſpernunt Pamphilum
Iraque credunt eſſe non dignum ſua,
Vt oblatrantem deſpicit caniculam,
Vanamque rabiem ridet illius leo.

43.

In Erycem.

LVſcus ſis quamvis, aquilæ vis nomen habere,
Sic tacite ſpurium te profiteris Eryx.

44.

De Horto Quodam.

HInc ager, inde maris recreant mea lumina fluctus.
Vrbs vale, dælicijs me juvat hiſce frui.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

45.

In Attalum.

SI tua te quæras cur non amet Attale conjunx,
Præter pediculos nil habere te dolet.

46.

Nunquam tacuiſſe nocet.

AD quid garrulitas? medio ſitit aridus amne
Tantalus, hoc pretium garrula lingua tulit.

47.

NEc macra conjunx, nec placet nimis pinguis.
At, ſi neceſſe eſt, potius eligam pinguem
Et ſucculentam, quam nimis macram, namque
Eſſe in macello malo quam ſepulchreto.

48.

In Grunnum.

QUis eſſe caſtum Grunne te neget? quando
Vis oſculari conjugem tuam ploras.

49.

De Mareo Theleſino.

NObilis eſt Marcus Theleſinus. Credo; ſed ajunt
Quod genitor fuerit leno, receptor avus.

50.

In Criſpum.

DIcturus aliquid labra commoves ſæpe,
Caputque torquens grande parturis quiddam?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Et oſcitante loqueris ac ſiles linguâ
Ut Criſpe te putemus eſſe prudentem.
Hoc impetrabis forte, ſi prius longas
Nobis aſelle commodes tuas aures.

51.

De Hermogene.

HErmogenem nuper cum cerneret eſſe togatum,
Damnatam mæcham credidit eſſe Numa.

52.

In Caßianum.

MOnſtra cornua Caſſiane monſtra
Et trium modo jura liberorum
Quot fæcunda tibi profudit Uxor
Non ſine auxilio Soſibiani
Audacter pete, forſan impetrabis.

53.

Ad Avitum.

DE me multa tibi quod Grunnus fingat Avite,
Non miror, de te finxerat ante mihi.

54.

In Cottam.

OMnes Magnates jactas tibi Cotta favere.
An non & ſtultis ſe recreare ſolent ?

55.

De Thaumantidis cantu.

QUi non miratur Thaumantida dulce canentẽ.
Aut aſinum, aut aures ejus habere puto.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

56.

In Grunnum.

AVt caput aut dẽtes quereris tibi Grunne dolere.
Ah utinam doleat lingua ſceleſta tibi!

57.

In Momum.

PEr me Mome licet, quamvis ſis ſcurra, potenti
Vt placeas, mihi ſed Mome placere nequis.

58.

De Sophronio.

SOphronius cæpit mendax aretalogus eſſe,
Vt mihi, quod nequiit ante, nocere queat.

59.

In Cordulum.

QVis qualiſve fores neſcivi Cordule, nuper
Sed didici quod ſis litera Pithagoræ.

60.

In Priſcum.

QVis te negabit eſſe
Mi Priſce bis beatum? V. *Turneb. ad Varon.*
Qui vivus in culina,
Et mortuus jacebis.

61.

In Zoilum.

QVod mea diſpliceant tibi Zoile gaudeo, ſemper
Quæ placuere tibi, diſplicuere mihi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

62.

De Uxore Apicij.

APicij conjunx juſtam ſe prædicat eſſe:
Pharſaliæ quondam ſic equa juſta fuit.
* *Vide Ariſt. pol. 2. cap. 2.*

63.

De Grunno.

QVidam rogavit nuper an foret Grunnus;
Sit Grunnus eſſe qui meretur aut ambit;
Invideo nomen, ſi quis hoc velit, nulli:
Tituloſque nullos invideo meo Grunno.
Paraſitus etſi diceretur à cunctis,
Compactus ex mendaciis, merus nequam,
Nullius unquam conſcientiæ gnarus,
Fallaciarum Præſes, & pater furum,
Potentiorum ſycophanta Magnatum
Quos innocentibus eſſe cogit infeſtos:
Nam nulla Grunnum lingua ſat celebrabit,
Ni forſan ipſe, (dignus omnibus feſtis,
Dignus præaltæ quem ſacret trabi tortor,
Ergaſtulive vel triremium fratres
Pater futurus omnium inter exſpiret,)
Suis velit ſe verſibus celebrare.

64.

De Davo.

DAvum, qui ſcelerum tot eruditus
Eſt, quot eſt rudis artium bonarum.
Quamvis egregiis viris nocere
Mendaci ſtudeat ſceleſtus ore,
Stultum vel ſtupidum vocare nolo.
In lingua cerebrum ſed eſſe dico.

65.

Ad Ioannem Iſaacium Pontanum.

ARdebas memini juſto Pontane dolore
 Cum raperet natum peſtis iniqua tuum,
Et modo committi muto tot dona ſepulchro,
 Et modo lugebas ſpem periiſſe tuam,
Spes tua non periit. Venit en tibi filius alter
 Multa ferens Matri gaudia, multa Patri.
Is per honorati veſtigia clara Parentis
 Tendet, & auguſtum Pallados ibit iter.
Quaſque tuus coluit, dum vita ſinebat, Iſacus,
 Ille colet, fato ſed meliore, Deas.
Ne dubita Pontane, ejus cinctura capillos,
 Creſcit in Aonio laurea certa jugo.

66.

In Cottilum.

CVm tot Amatores habeat tua Gottile conjunx,
 Materiam fures ne verearis habes.

67.

De Vino.

SI vinum ſit equus quo fertur ad aſtra Poeta,
 Verſibus ut multis Græcia docta probat:
Nil mirum eſt aſinos, muloſque odiſſe Lyæum,
 Ardua quos nullus vexit ad aſtra calon.

68.

De Fannio.

CVm notus ſcurris, ſcortiſque, & furibus eſſet;
 Cur nequiit notus Fannius eſſe ſibi?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

69.

De Cinna.

CVm loculum ſibi nollet emi moriturus avarus;
Hoc tantum doluit nomine Cinna mori.

70.

De Lyda.

INtactam ſe jurat adhuc Lyda eſſe puellam;
Sed quidquid jurat fingere Lyda ſolet.

71.

In Pamphilum.

SI te prudentem, quia canus es, eſſe rearis;
Erras miſelle Pamphile.
An neſcis aſinos canos à matre venire?
Quam multa neſcis Pamphile!

72.

In Grunnum.

R Latium, Græcum, Hebræum, complecteris uno
Grunne libro. O quam tu es ingenioſus homo!

73.

In Polyphemulum.

TV ſi quid faciam ſemper Polyphemule curas;
Aſt, ſi quid facias hoc ego curo nihil.

74.

De Horto Gerardi Witten Conſ.

HOrte Sycambrorum quo nil mage ridet in agris,
Omnia qui gremio luxuriante paris;
Dum licet aſſiduis animum ſubducere curis,
Quam tuus indulget gaudia pura ſinus!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

75.

De Cunis Celſiſsimo Principi Auriaco ad excipiendum filium ab Hiſpano oblatis.

DVm timet Auriacos etiam nutricis egentes,
Mollis Iber, puerum conciliare ſtudet.

76.

De iiſdem ad Batavum.

DVm cunas dat Iber noli dormire Batave;
Qui cubat, invictus deſinit eſſe Leo.

77.

De iiſdem ad Iberum.

AVriacæ ſtirpi cunas bene mittis Ibere:
Victrici debes nempe tributa tuæ.

78.

De Grunno.

LEgerat in Mimo vitium prodeſſe frequenter,
Et tunc eum peccare qui facit recte.
Hinc ne peccaret vitioſus maluit eſſe,
Tam conſcientioſus eſt meus Grunnus.

79.

Ad Eundem.

AVdio quod doleas Grunnum te Grunne vocari,
Ne doleas: Iudæ nomine lætus abi.

80.

De Strabone.

NVm bene, num male ſit Strabo Conjunx, augur Apollo
Non ait. Actæon ſed cito fiet ait.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

81.

Ad Dædalum.

ROma dedit clavis feſtum. Quid Dædale rides?
Hic feſtum ſpinis cernimus eſſe datum.

82.

De Negra.

SVavia ſe jactat gratis Negra nulla dediſſe;
Verum eſt; nam ſemper ſolvere Negra ſolet.

83.

De Maburra.

PRoditor, & merito, non vult Maburra vocari:
Nam meliore fide tradere non poterat.

84.

In Grunnum.

SI non ſufficiant tibi Grunne epigrammata centũ
Vno ſi moneas carmine, mille dabo.

85.

Medio tutiſſimus ibio.

INter utrumq; volans nec ſumma nec infima tenta.
Icareas pennas ſol cremat, unda gravat

86.

In Phyllidem.

INtactam te Phylli cave jurare puellam.
Credo, & te nullum Phylli rogaſſe puto.

87.

In Paulam.

TV caput inclinas ſi te mea Paula ſalutem
Jmmotaque ſinis in ſtatione pedes:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Dî tribuant hoſti connubia talia noſtro,
Non mea ſit, quæ ſe Paula movere nequit.

88.

In Cinnam.

IVras te nunquam genitorem Cinna fuiſſe,
Et tua te conjunx vix putat eſſe virum.
Qui ſis, qui fueris non curo Cinna, nec ad me
Quod te cognati plebs putet eſſe patrem.

89.

In Cappadocem.

DVm te quotidie viri celebres
Inſulſiſſime Cappadox ſalutant,
Tu Midas velut, aut agreſtis Aegos
Vix tacto digitis tribus galero,
Nec motis humeris, genuque tranſis,
Hinc ſunt qui fatuum, vel arrogantem,
Nec ſortis memorem putant prioris.
Quam ſtulte nimis aut nimis maligne!
Cur enim moveas tuum galerum,
Qui turpi ſcabie miſer laboras?
Nec aures aſini cupis videri?
Cur flectas alijs genu? quod uxor
Multo tempore conjugata jurat,
Iam dudum ſibi nos fuiſſe flexum.

90.

De Corydone.

DVm nuper Corydon opulentam duxit Alaudam
Quidquid in æde fuit repperit eſſe duplex.
Duplex lectus erat, duplex erat inde cubile,
Et tunicæ duplices & toga picta duplex
Porcus erat duplex, felis, canis, agnus, equuſque.
Ac oculi duplices; uber eratque duplex.

Neve nihil totâ duplex non eſſet in æde
Prole gravis ſponſo nupſit Alauda duplex.

91.

Ad Paulum.

QVos claros tu Paule vocas, vix credo videntes;
Grex Regem luſcum non niſi cæcus habet

92.

De Mopſi Nuptijs.

MOpſo Niſa datur, luſco Galathea Charonti,
Sic agitur, cæcus eſt ubi Plutus Hymen,

93.

De Cane meo.

NIgra tibi cutis eſt, nomen tibi præſtat Iberus:
Tu pellem, nigrum pectus Iberus habet.

94.

In obitum formoſiſſimi pueri
Wiechmanni Iudoci à Diedem.

SI vel nobilitas, vel formæ gratia, vel qui
Candida purpureus pinxerat ora color
Exlegi legem potuiſſent ponere morti,
Vita tibi nondum rapta Iudoce foret.

95.

In Dædalum.

CVm fragili nondum rupiſſet dente putamen
Perlectis centum Dædalus hiſtorijs,
Conſcripſit librum, voluitque ut nucleus eſſet
Dimenſus ſtomacho me reliquoſque ſuo.
Ah nimis inſane! Nec enim perſuaſerit ulli
Si vepres aſinus dixerit eſſe nuces.

96.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

96.

Ad Hiſpanum.
Poſt interceptam claßem Indicam.

NE VACVo noCeant CLaſſIs dIſpendIa fIſCo
MorIbVs antIqVIs Cede PhILIppe foro.

97.

Iuſtus Lipſius.
Anagramma.
Ipſus St Livius.

LIvius ipſus erat, niſi litera ſola deeſſet,!
Forte ſtyli meruit hoc brevitate ſui.

98.

De Belgarum Filÿs.

BElgarum pueri melioris tempora vitæ,
In infimis terunt ſcholis.
Anne ut cum fuerint ſublati morte latine,
Apud Inferos ſciant loqui?

99.

De Horto quodam.

ADſpicis hic quidquid noſtris non invidet oris
Pomona, & vario Flora venuſta ſinu.
In Batavis Venus ipſa ſibi ſi quæreret hortum;
Non alio poſſet commodiore frui.

100.

In Quinctianum.

BElgica metra vocas, opus eſt interprete Gallo;
Cur ſua non poſthac Belgica dicat Arabs?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Liber tertius,

I.

In Syllam.

SYlla doles quod Muſa tuum mea contigit ulcus.
Nec totâ de me deſinis urbe queri.
Non ego, non populus te ſciverat ulcus habere:
Indicio demens proderis ipſe tuo.

2.

De Lupo,

OB cauſam fidei Lupus exulat; & tamen illum
Affirmat caupo diu carviſſe fide.

3.

In Codrum.

EGregium merito te jactas Codre patronum;
Nam nunquam cauſsâ te cecidiſſe ſcio.

4.

De Cottâ.

QVis hoc Amice credat aut pati poſſit?
Ventoſus ille Cotta quem ſatis noſti
Injurioſus cenſor omnium rerum,
Et prope diſertus ingeni ſui teſtis.
Scientiæque diligens ſuæ præco
Tot ille notus verſibuſque proſiſque
Pediculoſus ſcurra quot fovet vermes:
Se dicit ægrotare, cum diu dormit.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

5.

De Mari.

DEſine mirari ſalſus quod flumina pontus
Cuncta bibat; gignunt omnia ſalſa ſitim.

6.

De Verre

MÆnia ſi quæris noſtris feralia nautis
Dunkercana capi qua ratione queant;
Non opus eſt numero, aut armis; mittatur inermis,
Et ſolus Verres; omnia namque capit.

7.

De Phyllide.

PHyllis Apollonii merito connubia damnat,
Hircum crediderat; repperit eſſe caprum.

8.

DVm caput hic, caput ille ſibi contendit habere;
Iufelix capitis Patria caſſa perit.

9.

In Ebollam.

QVod tibi debebam, vis ſolvere cogis Ebolla:
Dicere te furem nolo, ſed eſſe ſcio.

10.

De Publiciavo.

PVblica cûi ſoror eſt, cui publica mater, & uxor:
Quis non amare dicat hunc rem publicam?

11.

In Attonem.

SPem vultu ſimulat premit altum corde dolorem
Non vir, ſed frater conjugis Atto ſuæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

12.

Ad Henricum à Dieſt.

QVam bene ſincerâ de relligione mereris!
Dieſtiade noſtræ gloria magna Scholæ.
Quæ fuerat multo prius exantlanda labore;
Illa tuo facilis munere facta via eſt,
Quâ licet arcanos Scripturæ noſcere ſenſus
Scireque quæ jubeat credere vera fides.
Hinc tibi dum vives grateſque & præmia ſolvet
Doctior auſpicijs facta juventa tuis.
Nec deerit, dum funus eris, tibi fama, tuumque
Poſteritas nomen relligioſa colet.

13.

De Aulo.

PRodigus expendit paſſim quæ poſſidet Aulus,
Nec mirum eſt, paſſim prodiga Mater erat,

14.

Epitaphium Ambraciotæ.

IN vitâ mala ſunt, nihil eſt in morte quod angit:
Hinc volui ſpretâ tam citò luce mori.

15.

In Momum.

DVm mendica moves paſſim crepitacula Mome,
Cur habitas urbem? rura leproſe pete.

16.

Ad Aulum.

QVod felix fauſtumque tuis fit cornibus Aule
Cum nil contuleris crederis eſſe Pater.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

17.

De Ebolla.

CVr lætus qui ſemper erat, nunc triſtis Ebolla
Cernitur ? uxori nupſit Ebolla ſuæ.

18.

De Equino.

SVcceſſiſſe viro magno ſe jactat Equinus.
Sic nox ſuccedit cum perit alma dies.

19.

In Bellarminum.

BElla Reformatis cum *Bellarmine* moveres,
Arma fuere tibi nulla, fuere *Minæ*.

20.

De Codro.

QVi modo ſe varias legatum Codrus ad urbes
A Rege jactat maximo.
Ad Regem è patriâ fuit ablegatus is ante
A creditoribus ſuis.

21.

De Philippo Hiſpano.

CVm Rex Philippus millibus tot occiſis
Et tot fugatis obligaſſet Infernum ;
Suo triumphum debitum Imperatori
Decrevit Orcus; hinc ſub ultimum vitæ
Totus ſilentis Regiæ Magiſtratus
Sub pediculorum venit obviam forma.

22.

De Cinna.

CAuſſarum tantum patronus Cinna malarum eſt ?
Vxoremne ideo non juvat ille ſuam ?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

23.

De Codro.

A Rege ſeſe jactat eſſe Legatum
Varias ad urbes Codrus. Vt fidem nempe,
In Patriâ quam perdidit, foris quærat.

24.

In Lupum.

CAluities inculta jacet tibi plurima mento:
Teque negas puerum. Sis capus ergo Lupe.

25.

De Afra.

AFra quidem vellet natam cito cernere ſponſam;
Alloquio cunctos ſed procul ejus agit.
An ſurda, an muta eſt, an fætet angelitus oris?
Non; ſed plebs ſtultam vel putat eſſe levem.

26.

In Coralum.

AVdiviſſe refers quæ non ſunt dicta Corale:
Quod non olfacias Judica planta facit.

27.

Conjugatus.

UT potiar patior memini me dicere nuper;
Iam potior; ſed non deſino multa pati.

28.

Ad Iſaacium Pontanum.

QVid verſum præclare meum Pontane requiris?
O mihi ſincerâ ſemper amate fide!

Ipſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Ipſe ſatis noſti quam triſtia vulnera Parcæ
Intulerint natì præmoriente mihi.
Ne tamen offendare, tibi mea carmina mitto;
Vtere, ſi placeant; ſi minus, adde foco.

29.

In ejusdem effigiem.

HIſtorici, quem Danus habet, quem Geldrica tellus,
Quemque ſuum Phæbus, quem Medicina vocat:
Effigiem ſpectator habes: monſtrare nequivit
Cætera ſculptoris ingenioſa manus.
Doctrinam è variis poteris cognoſcere libris,
Candorem nos & ſæcula cuncta ſcient.

30.

In Tuccam.

DEſine Tuccà queri quod te mea læſerit unquã,
Inque tuos mores penna ſevera fuit,
Non feci; mihi crede, nec in te carmina ſcripſi;
Sed facerem tanti ſi mihi Tucca fores.

31.

In Fabullum.

MIſiſti nuper quædam mihi ſcripta Fabulle,
In titulo quæ tu Belgica metra vocas.
Belgica non vidi; non vidi metra Fabulle.
Eſſe negant Galli Belgica, metra pedes.

32.

In Cinnam.

QVi vilis modo fucus erat, qui vappa lutumque
Et vili, aut dubio Cinna parente ſatus:
In me narratur furioſum ſtringere dentem,
Et novus ex aſino proſiliiſſe Leo.

Audio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Audio, ſed caveat qui ſe putat eſſe Leonem
 Invenit ille ſuum ſæpe leontophonon.

33.

Ad Aquinum.

SI nihil è nihilo progigni poſſe rearis;
 Cur nihil in loculis gignit Aquine crucem.

34.

In Electa Everardi Balck
Ad Themidem.

VErenda Diva, ſola quæ tuo Jure
 Rerum Magiſtra diceris, ſalus Mundi.
Cui tot Catones Belgium, tot Heroes
Debere gaudet: Balckii tui fætum
Electa Iuris quæ tibi ſacrat ſume.
Longoſque commentarios, meras nugas,
Meras charybdes inſciæ juventutis
Omitte tandem. Quique tot ſalebroſos
Legum receſſus eleganter explanat,
Nihilque nobis barbarum, nihil vile
Obtrudit uſquam, quale jam magiſtelli
Vani minorum gentium Patres edunt,
Sed ubique doctus & latinus apparet;
Aeternitati quam meretur adſcribe.

35.

In Aulam.

INdiget Aula toga, tunicaque; hinc hæret, emendæ
 Num ſibi ſit tunicæ cura togæve prior.
Aula togam præfer, tunicam vix cernit Amator.
 Invenit haud ægre culta puella procum.

36.

De Loyſa.

INflatam faſtu nemo putet eſſe Loyſam,
 Hanc etenim nuper detumuiſſe ſcio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

37.

In Gellium.

GElli deliciæ tuæ Minervæ,
Gelli quem celeris libido linguæ
Et lecti procul hinc amor tabaci
Acceptum faciunt tenebricoſis
Glutonum pueris, gnathonibuſque.
Gelli quem Sophiæ vocant Magiſtrum,
Qui poſſes magis eſſe quam Magiſter,
Ni plus quam decet eſſe te putares:
Et linguam premeres nimis malignam;
Quâ culpas homines nihil merentes,
Et te, ſi pateris, celebriores,
Qui dum tu tineis jacebis eſca
Non tactum nece nomen obtinebunt.
Dic quæſo mea quid patravit unquam
In præjudicium tuum Camæna?
An conjunx tua pauper & moleſta
Mallet nos miſeros & impudentes,
Sortis difficilis tuæ ſodales?
Et dolet mihi conjugem beatam,
Ac ſatis facilem Deos dediſſe?
Vel ſperas potius meam poeſim
Quam ſpernis, tibi nomen additurum?
Nunquam magnanimus leo latranten
Ignavi pecoris veretur iram,
Fac quidquid potes; haud videbis unquam
Quod pluris faciam tuum furorem.
Quam cuncti faciunt tuum favorem.

38.

In Titum.

DVm res Tite breves verbis ter mille recenſes
Eloquio cunctos te ſuperare putas;
Sed ſutor pedibus magnum ſi forte puſillis
Calceum adaptarit, laudene dignus erit?

39.

39.

In Olum.

OMnia novit Olus. Si quid peragatur in urbe,
Et ſi quid ſtatuat Curia; novit Olus.
Gellia difficilem ſi ſenſerit ægra Maritum,
Preſſerit aut famulam Cæcula; novit Olus
Quod veteris Flaccus foribus ſit pulſus Amicæ,
Et quod ſit prægnans Mævia; novit Olus
Quam dominam Criſpinus amet, quam perdat Amyclas,
Quamque velit Corydon ducere; novit Olus.
Omnia cum norit; ſanâ ſe mente carere,
Et ſe cornutum vivere neſcit Olus.

40.

In Cæculam.

SOlus habet famulam, ſolus quoq; poſſidet hortũ,
Et felum ſolus, ſolus habetque canem.
Omnia poſſideat cum ſolus Cæcula; cur non
Vxorem potuit ſolus habere ſuam?

41.

De Fidentinæ filio.

INcipe parve puer riſu cognoſcere matrem;
Non noſces vivas ſi tria ſæcla patrem.

42.

In Acerram.

QUod regis imbellẽ turbam; non miror Acerra;
Nativum ſupra nil ſapit illa lutum.
Quod duplex animo & lingua es, non miror Acerra;
Dum virtute nequis, tendis ad alta dolo.
Omnia quod tentes ſolus; non miror Acerra;
Perfecti mores ardelionis habes.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Quod Cato ſis greſſu & vultu; non miror Acerra;
  Hoc plebs præcipue decipienda modo eſt.
Exſpectas in te tandem quid mirer Acerra?
  Quod nondum corvos de trabe penſus alas.

43.

De Corydone.

DIctus erat Corydon, nec nomen tale placebat
  Et dici cæpit Otto; deinde Mela.
Hoc quoque diſpicuit levius quia credidit eſſe,
  Fertur & uxorem conſuluiſſe ſuam,
Illa ſibi tempus meditandi ſumpſit, & iſtâ
  Nocte ſuo miſerum juſſit abeſſe toro:
Poſt Mæcho admiſſo, ſic mane locuta marito eſt;
  Actæon ſalve, jam grave nomen habes.

44.

De Cantu Thaumantidos.

DUm formoſa ſuos cantat Thaumantis amores,
  Attentoſque homines detinet atque Deos;
Damnantis Bavii geminas abſcindito lictor
  Aures; tam fatuum non eget aure pecus.

45.

De mari clauſo Iohannis Seldeni

AEquor inaudito Seldenus clauſerat auſu,
  Regis ad imperium dum trahit omne ſui.
Vidit ut hoc Natura, quid o temerarie dixit
  In non ſubjectas jus tibi ſumis aquas?
Aëris eſt nullus, nullus dominator aquarum
  Communes voluit omnibus eſſe Deus.
Hoc ſatis ex dictis poteras didiciſſe Canuti
  Intellecta tibi ſi bene verba forent.
Iam potes è docto Pontani diſcere libro,
  Qui negat ullius Principis eſſe mare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

46.

In Marinum.

COnjunx eſt dulcis, dulcis tibi filia, neptis
Dulcis, & eſt dulcis ſerva Marine tibi.
Quidquid in æde tua eſt cum ſit tam dulce Marine.
Quare putreſcit ficus in æde tua?

47.

De Martha.

QVæ toties ſponſam fieri ſe Martha petebat,
Cur modo conjugio juncta miſella gemit?
Iurgia difficilis non vexant dura mariti,
Conjuge non poſſet commodiore frui:
Non capo, non mæchus, non eſt quoq; gluto. Quid ergo?
Quotidie nequeat ſponſa quod eſſe dolet.

48.

De Melibæo.

FIliolum Melibæus habet, res mira! Dione
Quem procul à caſtris juſſit abeſſe ſuis.
Debet an hoc Mopſo? Mopſus ſolet eſſe Poëta,
Carmina quantumvis ſcribere nulla ſciat.

49.

De Deciano.

NOn utriuſq; dolet Decianus funera nati,
Defunctis matrem ſed ſupereſſe dolet.

50.

In Calliodorum.

SI pellex quærenda Iovi eſt, aut uxor amico,
Hoc age, ſi credas muneris eſſe tui.

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Quid ſtatuant Domini, vel quid Collegia mandent
Hoc ultra crepidam eſt. Calliodore tace.

51

De Criſpo.

MOrbo laborat Criſpus. An rogas quali?
Nec Gallico, nec Belgico, nec Hiſpano,
Nec Turcico, nec Perſico, nec Hebræo,
Nec cui vel Indus nomen, aut dedit China,
Non Danico, Britannicove, ſed Græco.
An hunc latina Pigritiam vocat lingua?
Aut forte morbum cui Neapolis nomen
Dedit, pelaſgum dicit eſſe linguarum
Fere omnium peritus? ut ſciant omnes
In Italia fuiſſe Græciam magnam.

52.

De Roma.

EſſeDeum ſincera fides quem credit ubique,
Romæ eſſe non pauci negant,
Nam ſi præſenti frueretur Numine Roma,
Quid ageret ibi Vicarius?

53.

De Nobilibus quibusdam.

NObilis eſt Hylus,& Danus vult nobilis eſſe,
Sed mihi nobilitas eſt utriuſque nihil.
Sufficeret gladius ter centum talibus unus.
Nobilis is vere eſt, nobile qui cor habet.

54.

De Porphyrio.

CArmina ſeceſſum quærunt ſcribentis. An inde
Carmina Porphyrii non niſi ſtercus olent?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

55.

De Gauro.

CUpreſſo ſimilis plane eſt oratio Gauri,
Longa eſt, ſed nulla nos ea fruge beat.

56.

De Fabullo.

NOs dolet orbatus tam ſancta matre Fabullus,
Illius ut comedat nos eget officio
Nos dolet orbatus tam fida uxore Fabullus,
Altera defunctæ ſupplet amica vices.
Qui cupit ut toto triſtetur corde Fabullus,
Aut ſe inſpendat de trabe, tollat opes.

57.

In Livinam,

SIs Livina licet, gaudes divina vocari,
Et differre parum nomen utrumque putas
Verum eſt. Sed qui te appellat ſæpiſſime Lunam,
Erraret ſi te diceret eſſe lupam?

58.

In Tantalum,

Exiguas habitat numatus Tantalus ædes,
Quas ſtrix non vellet, bubo vel eſſe ſuas
Præcipuum felis perminxit ubique cubile,
Subque toro ſocia cum ſue porcus agit.
Undique fumoſos invaſit aranea muros.
Et tota glires expulit æde fames.
Colligit interea numeroſum Tantalus aurum,
Ut qui vivit inops, dives obire queat.

59

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

59.

In Ebollam.

INgenio', & forma gemino cum fratre tumeſcens
Eſſe pares nullos dicis Ebolla viros.
Et bene, nam quartum ſi mater fors tua gignat,
Fratribus abſimilis ne ſit, aſellus erit.

60.

In Nævium.

SAt bene quod ſeptem poterat proponere verbis'
Extendit verbis Nævius innumeris.
Forſan id exemplo didicit ſutoris , alutam
Qui mollem duro tendere dente ſolet.

61.

In Gallum.

INepte Galle qui Batavisliberis.
Quæcunque dictat impudentiæ furor
Domi minaris, pro reciprocis minis
Mirum tibi vovebo purgatorium.
Ut cum Brabantos Mars Batauus opprimet,
Sit pro latebrâ cavea Gallorum tibi.
E quâ retracto ne dein cantes magis
Utrumque teſtem demat, & fias capo.

62.

De Mela.

URbis præcipuos ſeque eſſe ſuamque ſororem
Dicit, & hoc ſummo non ſine jure Mela.
Privatis quoniam ſi præſtent publica rebus,
Cur Mela non præſtet publicus, atque ſoror?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

63.

In Criſpum.

ET probus, & dives dici vult Criſpus, & eſſet,
Nulla niſi virtus, res niſi nulla foret.

64.

In Marcum.

SI pictura tibi ſit mortua Marce poeſis,
Mortua cur vivis nobiliora putas?
Anne times laudare tuum ſuperantia captum?
An potius ſtupido mens tibi ſana deeſt?

65.

In Pudentem.

QUod te carminibus meis notarim,
Paſſim conquereris Pudens, & erras:
Nam cum te cuperem notare, vidi
Plenum ſtigmatibus tibi eſſe dorſum,
Nec meæ ſpatium notæ relictum.

66.

Priscus ad uxoris filios.

Actæon ego ſum, Dominum cognoſcite veſtrum
Nam mala me verum ſors vetat eſſe patrem

67.

De morte ſereniſſimi Guſtavi Adolphi

AUſtriacus qui te Cæſar Guſtave timebat
Creditur is Parcam conciliaſſe ſibi.
Illa tamen metuens tam magni militis arma,
Eſt aggreſſa tuum non ſine fraude caput:
Nam ne te poſſes defendere, brachia læſit,
Cumque vereretur pectora, terga petit.

Nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Non nocuit tamen illa tuæ Rex maxime famæ,
Victor eras vivus, nunc quoque victor obis.

68.

De Ruſtico.

RVſticus inſeruit obſcænum epigramma libello;
Poſtea deleri quod voluere Patres.
Caſtratus liber eſt, cur non caſtratur & auctor?
Debuit hoc turpis promeruiſſe Venus.

69.

In Cinnam.

JAm duo jam plures famuli te Cinna ſequuntur,
Quid quæſo tot cuſtodibus dignum facis?

70.

Ad Chærilum.

NOlo verboſum, nolo quoque Chœrile mutum:
Fors ſapit iſte parum, ſed ſapit ille nimis.

71.

In Calliodorum.

DE magnis te multa viris, & fingere de me
Plurima, fama refert quotidiana mihi.
At niſi me caveas mendaci rodere dente
Te faciam matulam Calliodore canum.

72.

Ad Batavum.

UT VInCas, potIor NeptVnI CVra BataVe
QVærItUr, hIC arMIs eſt opVs atqVe VIrIs.
QVId terrâ tentas? doneC DVnkerka per æqVor.
IVs dICet, non te proteget Ipſa ſaLVs.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

73.

In Aulum.

AVle refers Italos aſinorum membra vorare,
Anne ideo Italiam non petis? Aule ſapis.

74.

In Coſmum.

RIdes quod natæ plorarim ob funera Coſme,
Meque puſillanimum molliculumque vocas,
Dura, nec invideo, tibi ſunt mage pectora, namque
Ridens uxorem ſcis ſepelire tuam.

75.

In Cottam.

MIror parentem Cotta quod tuum neſcis,
Cum teſtis Oſſa quem tuo geris naſo
Fratrem gigantum, filium probet terræ.

76.

In Tuccam.

VEntoſus ille qui ſuis ferox bonis
Et infimis, & maximis fuit gravis,
Ac cedere ulli Tucca neſcijt diū
Vt cedere ſemel diſceret, ceſſit foro.

77.

Ad Ioannem Polyandrum à Kerchoven.

EſT tibi Kerchovi par ſummis filius unus
Et te non plures progenuiſſe doles.
Ah male! nam Natura volens quid gignere rari,
Parca eſt, dum plenâ dat minus alta manu
Vnus Olimpiadi ſic Natus contigit olim:
Et Tethidi tantum filius unus erat.

78.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

78.

De Aulo.

INeptiſſimus omnium latrantes
Quot inter rabulas in orbe vivunt
Quæ non neſcio furcifer minatur,
Ventoſo ſtrepitu, dicace linguâ,
Illi, qui miſero deeſſe nolens,
Nocturnâ caruit quiete ſæpe.
Sed cur tam nimis inſoleſcit Aulus?
Quidam dum pretio ſui laboris,
Quod totum ſibi deſtinarat Aulus
Fraudari renuit, popoſcit illud.
Hinc furit miſer, æſtuat, minatur:
O Auli cerebrum pediculoſum!

79.

In Aulum.

SI nox longa nimis, ſi lux tibi longa ſit Aule,
Unde potes vitæ de brevitate queri?

80.

In Varum.

OMnia dum multis, dum dicit Varus ubique,
Et nihil hic noſtrâ quod ſit in urbe tacet,
Affirmat nil poſſe tamen ſe dicere Varus,
Anne uſus dæmon illius ore fuit?

81.

De Olla.

MEndaciorum fuſor & parens Olla,
Quo nemo vidit impudentius monſtrum:
Quamvis nec ipſum Pallas aut Themis norit
Tamen peritum jactat eſſe ſe juris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Gaudens vocari litium omnium victor,
O quiſquis albo forte Themidos inſcriptus
Extemporalis rabula poſtulas eſſe,
Adjunge te Ollæ menſibus tribus fies
Illo auſpicante litigantium prædo,
Et doctor ignorantiæ, & merus nequam.

82.

De Servo Deiphobi.

DEiphobi ſervum juſtum quis deneget eſſe?
Nil obſeratum cui vel occluſum domi eſt?

83.

De Furio.

QUi modo truncus erat, telluris inutile pondus,
Furius eſt prætor, lex probitaſque vale.

84.

De Grunno.

COnveniunt quoties Proceres, crepitacula Grunni
Adſunt, leproſum ſe tamen eſſe negat.

85.

In Ardelionem omnium reprehenſorem.

QVid tibi cum noſtris gibboſe patercule ſaccis?
Deſine, par ſacco non potes eſſe tuo.

86.

Piſcator ad Iuvenem luſorium reticulum offerentem.

HÆc mea me nunquam, ſed fallunt retia piſces,
Tu quæ te fallunt retia ſolus habe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

87.

In Maranum.

QVidquid agis, dicíſve, globos quoque flectis & oras,
Et te devotum nemo Marane negat.

88.

De Atta.

OMnia dum tactu Midas convertit in aurum,
Vrit eum ſitis, & non toleranda fames.
Vnde beans alios iſto, miſer ipſe, metallo
Seſe aſinum longis auribus eſſe probat.
Eſurit, hæredi quo conſulat Atta, ſitítque,
An non ſic aſinum ſe docet Atta? puto.

89.

De Grunno.

CAndidior cygno non eſt avis ulla, nec ulla
Exuta plumis invenitur nigrior.
Exue mendacem ſpecioſo ſchemate Grunnum,
Calumniantum deprehendes peſſimum.

90.

Ad Sophroniam.

QVem mihi tu ſemper laudas Sophronia Grunnum.
Ignarum fumi nullius eſſe ſcio.

91.

De Pamphilo.

PAtronus Momi narratur Pamphilus eſſe,
Calumniantis, proditorꝪ furis, latro:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Promoti arte malâ promotus non meliore,
An concolores ſic ſimul volant aues ?

92.

In Grunnum.

NOn es ficoſus, non es quoque Grunne leproſus:
Sed non diſſimilem ſuſpicor eſſe luem.

93.

De Pecunia.

QVæ modo muta poteſt violare pecunia leges,
Quid faciet ſi fors cæperit illa loqui ?

94.

In Amyntam.

AEgri ſunt oculi tibi, nec miramur, Amynta:
Invidiam penitus exue, ſanus eris.

95.

In Iudicem iniquum.

ATtrahit ex imis liquidas ſol vallibus undas,
Quæ verſæ in imbre rurſus in terram cadunt.
O qui pupilli lachrimas, viduæque querelas,
Inique ſanguiſuga, ſurdus deſpicis,
Crede ad Juſtitiæ ſolem hos pertingere fletus:
is in merentem ſulphur æternum pluet.

96.

De Fæneratore.

CUm xenodochium fænerator jam ſenex
Strui juberet ſenibus, admonitus fuit
Simile juberet Orphanis ut extrui,
Debere namque & hos & illos fænori,
Quo lautus is ſe paverat, inopiam ſuam.

97.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

97.

Cur Probi Pauperes.

QUod ſit rara probis opulentia , plurima pravis,
Ipſa ſuâ probitas ſimplicitate facit:
Namque ſuis prohibet perjuria, furta, doloſque:
Quæ vetita improbitas non cupit eſſe ſuis

98.

Ad Iſſam:

DUm tu Belgiacas inter pulcherrima Nymphas
De formâ ſpeculum conſulis Iſſa tuum;
Materiam teneri fragilem perpendito vitri,
Et fragilem formam non minus eſſe tuam,

99.

Epitaphium Mariæ Zevecotiæ.

QUiſquis ſaxa vides ſub queis Zevecotia dormit
Quinquennis miſero rapta puella Patri:
Quam neque naturæ dotes, lachrimæve Parentum,
Nec lepor aut pietas eripuere neci;
Diſce quod immenſo quidquid ſpectatur in orbe,
Verè aliud non ſit quam cinis, umbra, nihil.

100.

Ad Phæbum.

PHæbe vale , extremam tetigerunt carmina metam,
Si bona, multa ſatis; ſi mala multa nimis.

Cicero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

VEſtra admurmuratio facit Quirites, ut agnoſcere videamini qui hæc fecerint; ego autem neminem nomino: quare iraſci mihi nemo poterit, niſi qui ante de ſe voluerit confiteri.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
121 N 66